



1 5 9 9


ass. Nr. 24.6

Grz

Chamierus, Dan.

n. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

M. VII. 103.



RUDOLPHI SNELLII
VETERAQUINATIS

DE RATIONE
DISCENDI ET EXER-
CENDI LOGICAM PER ANA-
LYSIN ET GENESIN FACI-
li & perspicua,

LIBRI DUOS;

Nunc primùm in lucem editi.



HERBORNÆ NASSOVIORUM.
Ex officina Christophori Corvini

MDCLXXIX.

FRIDOLPHUS SNEILLI
VETERINARIUS

DE RATIONE

DISCENDI ET EXER-

CENDI LOGICAM PER ANA-

LYSIN ET GENESE FACI-

HAERETICUS

LITTI DNO

ANNO DOMINI 1711



CHRISTOPHUS CORVINUS
MEDICUS

MDCCXII





AD CLARISS. VIRUM
JOHANNEM CALVINUM

J. U. D. ET IN ACADEMIA HEI-
delbergenſi Philoſophiæ Pro-
feſſorem.

Leganter & præclarè admodum Cicero 1. de nat.
deor. Non (inquit) tam autoritas in diſputando,
quàm rationis momenta quærenda ſunt: quin et-
iam plerunquæ obeſt iis qui diſcere volunt autori-
tas docentium. Deſinunt enim ſuum adhibere iudicium, &
id habent ratum, quod ab eo quem probant, iudicatum vi-
dent. Nec verò probare ſoleo id, quod de Pythagoreis acce-
pimus, quos ferunt, ſi quid affirmarent in diſputando, cum
ex his quæreretur, quare ita eſſet, reſpondere ſolitos: Ipſe
dixit. Ipſe autem erat Pythagoras. Tantum præjudicata
poterat opinio, ut etiam ſine ratione valeret autoritas.
Quibus omnibus præceptum illud, Non ſine ratione va-
leat autoritas, innuere & ſtabilire, atque omnibus omni-
no artificibus, in artibus & diſciplinis exſtruendis ſeriò præ-
cipere videtur. Præ cæteris autem unus Ariſtoteles obſer-
vaſſe videtur, utpote, qui rejectis omnium hominum perſo-
nis & autoritatibus, liberrimè & ſenſit & ſcripſit, ſemper in
ore habens: Amicus Socrates, amicus Plato, magis ta-
men amica veritas: Et hoc noſtro tempore idem ferè fecit
Petrus Ramus, ſagaciſſimi ingenii Philoſophus, ſicuti de-
creta & dogmata ipſius philoſophica luculenter idipſum de-
monſtrant. Hunc quoque ſecutus magnus hic Rudolphus
Snellius, præceptor noſter ſummâ obſervantiâ colendus, af-
ſiduam in veritatis inquiſitionem impendit operam. teſtis
eſt locupletiſſimus Dialogus ejus, ſeu Commentarius, nunc
in omnium manibus, doctiſſimus in Dialecticam P. Rami
teſtis eſt Ethica ejus, ſeu liber de moribus: teſtis quoque eſt

(:) ij

P R Æ F A T I O.

hic liber de Usu Logico, nunc recens multorum magnorum virorum consilio (in quo Snellius noster, uti plané spero, etiam acquiescet) editus. testes quoq; infiniti pené ejus commentarii in totam Philosophiam, imprimisq; illi in Geometriam & totam Mathesin esse possent, si tantummodó lucem illis permitteret, ac typis mandari curaret.

Ad te veró, vir clariss. hac scribere volui, non quód jus ullum in auctoris librum mihi vendicarem, sed ut tu vestigiis ejusdem insists, idem in philosophia proponenda, sicutá háctenus fecisti, faceres: tum ut Snellius, viso nomine tuo, ad reliquos Commentarios, quos habet eruditissimos, in lucem edendos sese accingeret: juventuti quoque hic liber eó gratior atque carior esset. Bene vale in Christo Jesu. Herborna 18. Decembris, anni 1594.

T.

Johan. Rulmannus
Minister.

I
RUDOLPHI SNELLII
Veteraquinatis
COMMENTATIO-
NUM DIALECTICARUM
LIBER PRIMUS.

Non dissimilis mihi Dialecticorum opera videtur studio ac labori anatomicorum. Quemadmodum enim hi, corpore dissecto, ejus membra, membrorum figuram, situm & officia discipulis ob oculos ponunt, ut hisce cognitis & penitus perspectis, & sanitatem tueri & amissam recuperare, morbosque & symptomata feliciter curare possint: sic Dialecticus rationem, alteram rationalis animæ facultatem, explicans & quasi resolvens, ejus vires & officia, modumque discernendi interpretatur, & studiosis rationem quasi dissectam in promptu ponit, ut veritatem defendere, amissam verò & mendacis fallaciisque involutam, & tenebris quasi offusam evolvere & expedire, aliudque ex aliis deducere & colligere possint. quæ sanè longè maxima Dei Opt. ter. Max. dona & munera sunt, & divina mente cum illo vitæ spiraculo delibata & hausta. Nam horum beneficio homo est homo, & à bestiis discriminatur; cum enim animal rationale definitur, animal naturâ Dialecticum & Logicum definitur. Exergiscantur itaque bonarum artium veritatisque studiosi, & hujus tam utilis imò necessariæ artis amore accendantur. Si enim fallaci vultus imagine, in speculo refulgente, delectamur, & propterea idem speculum sæpiusculè repetimus; si ex speculo corpus componere, qui gestus, qui mores, quæque vestiendi ratio deceat, quæ verò deceat, discere avemus: quid faciendum in arte Dialectica censemus, quæ non corporis fluxi & caduci, sed animi ratiocinantis & æternam imaginem & simulacrum refert; quæ non corpus componendi rationem, non hos gestus decere, illos dedecere, ut speculum, docet, sed quo-



modo sit ratiocinandum, in veritatem inquirendum, falsitas refellenda, dubiæ quæstiones disputandæ, rationisque lance examinandæ, denique quomodo varia axiomata, homogenea tamen, disponantur, ut inter se apta connexaq; sint: an non longè solidius hoc fore gaudium arbitramur? Et sanè si quicquam ad philosophandum est necessarium, Dialectica illud ipsum longè suâ necessitate superat: Philosophia enim res proponit amplissimas, ut hîc quasi seges rerum sit longè uberrima: Dialectica verò eas ipsas tractandi rationem præscribit, ut sine Dialectica commodè philosophari quenquam, fieri minimè possit. Quapropter apud Platonem Socrates ardorem adolescentis ad penitiorum philosophiam properantis reprimens: *Laudo, inquit, tuos conatus, ô adolescens, quibus ad altiora raperis; sed retrahete, magisq; exerce in Dialectica. quod nisi feceris, veritas te effugiet.* Ut hîc quasi philosophiæ oculus, imò sol sit omnes ejus partes largissimâ luce collustrans, quo sublato, tenebris involvi of-fundiq; omnia necesse sit.

Sed hæc hæctenus. Pressius deinceps de Dialectica, Dialecticæ partibus, partiumq; particulis, & omnium regulis & theorematis agemus. Antequâ verò longius progrediamur, industrios architectos imitari oportet, qui ædificium architectaturi, ante omnia firmum jaciunt fundamentum, quo omnia nitantur: itidem nobis qui Dialecticam trademus, ab ejus ovo & primo fundamēto auspicari convenit, definitione scilicet. hæc enim summa thesis, hæc artis primum fundamentum est firmamentumque, quâ exploratè perceptâ reliqua facilius extruentur; de materia enim, forma & fine liquidò constabit. Definitur autem *Dialectica ars bene disserendi.* Dialecticæ notatio est á *διαλέγεσθαι*, quod *ἰὼ λόγῳ γένεσθαι* in Alcibiade interpretatur Plato, id est, ratione uti. Quoties enim *διαλέγεσθαι* dicimur, toties ratione utimur; & vicissim contra, quoties ratione utimur, toties dicimur *διαλέγεσθαι*; ut Dialectica aliud sit nihil quàm rectus & artificiosus rationis usus & usurpatio accurata, non solùm cum ipsi nobiscum meditatur, vel cum aliis ratiocinamur,

mur, verum etiam cum aliorum scripta ad rationis normam revocantes resolvimus, & tanquam Penelopes telam teteximus. Hæc, inquam, vocis est notatio. definitio deinceps sequitur, genere suo & forma, tanquam essentialibus causis constituta. Primum definitur *ars*. est enim ex artium numero hominum vitæ utilium, ex suis & propriis præceptis tanquam ex materia constantium, legitimo ordine & methodo dispositis, tanquam ex formæ particula, quæ communia sunt Dialecticæ cum aliis artibus, quibus itidem sua sunt præcepta certo ordine disposita. Cum verò *bene disserendi* adjicitur, pressius quippiam & peculiarius dicitur, quodque Dialecticæ proprium sit, & quidem ita, ut ejus forma, ipsam scilicet constituens primum, deinde à cæteris distinguens & discriminans. Disserendi verò vocabulum ab agricolis huc translatum, Judicio tantum convenit, propter analogiam quam habet cum agricolis. Ut enim agricolæ sui cujusque generis semina in sua disserunt & disseminant pulvinaria (disserere enim in diversas partes separationem segregationemque significat) sic quoque Judicium argumenta & enunciata certo antecessionis & consecutionis ordine disponendo disserit ac disseminat, ut postea judicium de illis feratur; inde verò ad generalem intelligentiam amplificatur extenditurque, ut Inventionem quoque suo circumplectatur ambitu. unde duplicem hinc esse tropum intelligimus, Metaphoram, ob analogiam Dialecticorum & agricolarum; deinde Synecdochen, ob specialis intelligentiæ vocabulum ad generalem significationem amplificatum. Denique in bene disserendo formæ conjunctum fidem intelligimus, quod omnes Dialecticæ præceptiones eò tanquam ad scopum tendant & adspirent, ut bene disserere doceant. Quem qui est affectus, Dialecticus & bene disserendi peritus; qui verò non item, Dialecticam tamen jactitat, quia inanis & umbratilis est, nisi usus sit adjunctus, cavillator beneque disserendi imperitus; quantumvis Dialecticam crepet, appellabitur. Si enim ars est, negotiosa est; cum ars nulla otietur ferieturve. negotium autem Dialecticæ est in disserendo; disserat itaque, & in disserendo artis

suae regulas adhibeat, non autem de præceptis cum ostentatione & inani ingenii jactatione cavilletur, quisquis Dialecticorum choro annumerari velit.

Sed quaestio hic existere potest, Quibus in rebus Dialectica sit exercenda, cum artes omnes certo aliquo subiecto, ubi vires suas explicent, occupatas videamus, ut Grammaticam in sermone puro, Rhetoricam in orationis ornatu, Arithmeticam in re numerabili, Geometriam mensurabili? Cui equidem occurrimus, Dialecticam quavis in re occupari exerceri, quæ quidem sub rationem cadere, & ab homine cogitari potest. Cum autem nihil non sub rationem veniat, nihil non Dialecticæ erit propositum, ut de eo bene disserat, id est, subiectum Dialecticæ sunt Entia, quæ nimirum revera aliquid fuerunt, sunt, aut erunt; & non Entia, quæ neque fuerunt, neque sunt, neque erunt quippiam, fuisse tamen olim, esse jam nunc, aut fore aliquando imaginamur, ut Campi Elysi, horti Hesperidum, Chimæra, Harpyiæ, & si qua sunt similia. quam late enim se extendit patetque ratio, tam amplius est Dialecticæ circumflexus & ambitus.

Sed de definitione hæcenus tanquam fundamento. Bipartitio deinde distribuitur, pro duplici rationis humanæ officio: aut enim res singulas considerat, earundemque inter se affectiones confert, aut de illarum inter se affectionibus, postquam disposuit, judicat; illa est *Inventio*, hæc *Dispositio seu Judicium*. Inventio itaque quamvis res singulas invenire dicatur (singulæ autem dicuntur, quæ extra dispositionem & collocationem considerantur) nulla tamen fuerit, nisi binas inter se res earundemque affectiones habitudinesque conferas. Quapropter qui de quoque argumento judicaturus est, ex quo nimirum Inventionis fonte promanaverit, bina inter se conferat, earundemque affectiones diligentissime expendat.

Verum ut clariora hæc evadant, exemplo utamur Virgiliano. Didō ubi Æneæ amore exarserat, in varias partes dubia & anxia deducebatur:

*Multa enim, ut inquit Poëta, viri virtus animo multusque recurſat
Gentis honos.*

varicque

varieq; & quám diversissimé de eo cogitanti nunc hujus-
modi nunc aliusmodi Æneas Didoni ante oculos obver-
satur, ut inventionis & ejusdē rei diversissime cōsidera-
tæ, & cum variis rebus diversé collatæ evidentissimū hīc
habeamus exemplum. modó enim Æneā, ut effectū con-
siderat, cū scilicet illum cōfert cum Anchise & Venere:

*Hicne, inquit, ille Æneas, quem Dardanio Anchise
Alma Venus Phrygii genuit Simoëntis ad undam? Et:
Credo equidem, nec vana fides, genus esse deorum.*

Aliās ut causam, ubi scilicet cum factis ab ipso editis con-
fert, ut:

*Quis novus hic nostris successit sedibus hospes?
Quem sese ore ferens?*

Et pauló post: *qua bella exhausta canebat?*

Nunc ut subjectum cui nimirum adjuncta adjacent:

*Os humerosq; Deo similis: namq; ipsa decoram
Casariem nato genitrix, lumenq; juventa
Purpureum, & latos oculis afflarat honores.*

Modó ut adjunctum, ubi scilicet de loco nativitatis me-
ditatur:

Venus Phrygii genuit Simoëntis ad undam.

Modó ut argumentum par, cū scilicet cum Apolline
confertur:

*Ipsē, inquit, jugis Cynthi graditur, molliq; fluentem
Fronde premit, crinem fingens, atq; implicat auro,
Tela sonant humeris: haud illo segnior ibat
Æneas: tantum egregio decus enitet ore.*

Aliās ut simile:

claraq; in luce refulsit

Os humerosq; Deo similis.

Nonnunquam ut dissimile:

*Degeneres animos timor arguit: heu quibus ille
Jactatus fati! qua bella exhausta canebat!*

Modó ut conjugatum:

Æneadasq; meo nomen de nomine fingo.

Ubi intellige & notationem hīc esse, quatenus scilicet dux
Æneas subditis Trojanis nomen imponit; conjugata ve-
rò, quatenus ab eodē fonte cadunt: aliās ut res testata, ubi
scilicet in templo Carthaginensi Ilioneus orator dicit

*Rex erat Æneas nobis, quo justior alter
Nec pietate fuit, nec bello major & armis.
Hoc enim ille de duce suo fert testimonium.*

Quapropter *Inventio Dialecticæ pars prior est de inven-
niendis argumētis.* Invenire autē nihil est aliud quā́m duas
inter se res conferre & earūdem habitudinem, & ad se in-
vicē affectionem explorare, quæ diversæ esse possunt, pro-
ut diversimodé res collatæ ad invicem sunt affectæ, ut in
proposito exemplo. Affectio autē inter argumenta duo
perpetuó relata est: sic causæ ad effectum, & effecti vicif-
sim ad causam. Causa enim effecti est causa, & effectum
vicissim á causa est effectum; quanquam interim res quæ
sunt causa & effectum, relata minimé sint: ut,

Dum rex, inquit Virgil. Evander Romana conditor arcis.

Evander causa est, arx Romana seu Pallanteum effe-
ctum; quæ duæ affectiones adjacentes Evandro & Pallan-
teo revera sunt relata, ipse veró Evander & Romana arx
minimé; non secus atque in Grāmatica mulier est generis
fœminini, nō autem ipsum genus fœmininum, alioquin
mulier neutrius esset generis. Quapropter cū́ argumē-
ta relata esse dicuntur, intelligantur argumentorū tituli,
ut in Logica inventione præscribuntur: non autem, quæ
locis ipsis continentur, ut sunt exempla ad illustrandū ad-
ducta. Argumentum deinde ab arguendo nomē sorti-
tur, quod significat indicare, demonstrare, explanare. Qua-
propter argumentum nihil aliud est, quā́m rei indicium,
sive extra axioma, syllogismū & methodum; sive in axio-
mate, syllogismo & methodo consideretur. Quapropter
omnes ejus divisiones ab arguendi vi & natura tanquam
primo fonte derivandæ sunt, ut quotuplex arguēdi sit di-
versitas, tot etiam argumenti sint genera. & primū́m qui-
dem dividitur in *artificiale* & *inartificiale*, illud Ciceroni
insitum, hoc assumtum appellatur; quod artificiale vi sua
sibi insitā & innatā, inartificiale veró foris assumtā ab ali-
quo scilicet artificiali arguat, demonstret & explanet. Il-
lud arguendi in se vim habet: hoc veró ejus est expertus, &
non nisi propter alia ei creditur, ut sunt testes.

Artificiale deinde vel á se extitit, suæque est originis,
& sibi essentia suæ fons, principium & origo: aut aliunde
deri-

derivatum deductumque, non secus ac voces Etymologiae, quarum aliae sunt primae, aliae vero à primis flexae: ut, ibi aurum, hinc aureus & auratum; illud *primum* dicimus, hoc vero à primo ortum.

Tertio *primum* consideratur absolutè & simpliciter extraque omnem collationem comparationemque; aut comparatur cum altero in quantitate pari vel impari, vel qualitate simili aut dissimili; illud *simplex*, hoc *comparatum* dicimus.

Quarto *simplex* cum eo quod arguit cognatione quadam est conjunctum, aut dissidio quodam est disjunctum. illa in enunciato vero rectè affirmantur, hæc vero rectè negantur; illa *consentanea* sunt, hæc vero *disfentanea*.

Quinto consentanea ratione vinculi & consensus quo conjunguntur, *absolutè* consentiunt, ut unum essentialè sit alteri, alterum vero essentialiam ab altero accipiat; illud est *caussa*, hoc vero *effectum*: aut consentiunt *quodam modo*, ut unum alteri essentialè non sit, nec alterum ab altero essentialiam accipiat, verum præter essentialiam invicem conjungantur sibi. quod si subjicitur, *subjectum*; si vero adjungitur, *adjunctum* appellamus.

Et hæc quidem hætenus de argumentorum generalibus distributionibus; pressior deinceps materia erit, ubi illum sequemur modum, ut bina argumenta invicem se arguentia jungamus, post vero exemplis illustremus, denique etiã ex dispositis axiomata primùm, tum syllogismos faciamus, si prius illud admonuimus, nihil nobis ex Logica expectandum esse, præter modum ac rationem tractandi res; illas ipsas vero aliunde petendas, ex artibus scilicet, quarum sunt propriæ, ut sunt sacrosancta Theologia, Jurisprudentia, Medicina, &c.

Primùm omnium *absolutè consentanea* occurrunt CAUSSA scilicet & EFFECTUM. Dicuntur autem absolutè cõsentire, quod effectum sine caussis existere, ubi vero extitit, esse aut durare non possit: ut, homo sine partibus existere, ubi vero extitit, sine corpore & anima rationali consistere nequit. denique tum demum verissimè homo fuerit, ubi finem suum fuerit consecutus, cum tanta inter subjectum & adjunctum cognatio nequaquam sit. Etiam si

enim adjunctū á subjecto amoveatur, ut ab homine divitiæ aut paupertas, robur aut imbecillitas, formositas aut deformitas, dignitas aut despectus: nihilominus tamen subjectū fuerit. Adjuncta enim ad sua subjecta essentialibus jam causis constantia extrinsecus accedunt.

Definitur autem *Causa*, *cujus vires est*, ut ab efficiente ex materia per formam propter finem res quævis fit, existit & oritur. ut á Vulcano tanquam efficiente, ut est *Æneid. 8.*

En perfecta mei promissâ conjugis arte

Munera. intelligit arma á Vulcano fabricata ex ære, electo, ferro & auro.

Terribilem cristis, inquit, galeam, flammâq; vomentem

Fatiferumq; ensen, lorica ex ære rigentem.

Tum leves ocreas electo auroq; recocto

Hastamq; & clypei non enarrabile ferrum.

Per formam, quæ ibi pluribus verbis describitur, sed hisce verbis summatim comprehenditur:

Illic res Italas Romanorumq; triumphos

Haud fati ignarus, venturiqu; inscius avi

Fecerat ignipotens: illic genus omne futura

Stirpis ab Ascanio pugnataq; in ordine bella.

Propter finem, qui scilicet fuit in bello hostes feriendo & corpus tuendo, quem usum Venus hoc pacto attingit:

ne mox aut Laurentes nate superbos,

Aut acrem dubites in pralia poscere Turnum.

Tanta autem causarum est præstantia, ut solæ perfectissimæ cujusq; scientiæ fons & principiū sint; ut illud tandem scire dicamur, cujus causas perspectas cognitâque habemus, & omne in bonis artibus collocatū studium causarum investigatio sit, ad quas quo propiūs accedimus, eo quoque penitiorē rei scientiam tenemus, artesque omnes nihil aliud sunt, quàm continuata causarum & effectorum series & connexio.

Distribuitur autē in genera duo, pro quibus tamen bis binæ usurpantur species, quod Aristotelis exēplo in Categoria Qualitatis videre licet, ut sunt *efficiens & materia*, aut *forma & finis*. Illæ hoc habent commune, quod effecto priores sint lōgē sæpissimē, hæ veró quod nunquā, sed for-

ma

ma sit congenita, finis veró posterior, quibus singulis singula respondent effecta, communi tamen vocabulo Effectorū appellata, cūm proprié efficiendi conveniat, ut materiaturum materiæ, formatum formæ, finitum fini.

Est itaq; EFFICIENS CAUSSA, quia primus inde motus proficiscitur, loco primo, definiturq; *caussa á qua* (ut hinc actionem oriri intelligamus) *res est*, quod effectum proprié appellatur. Quia veró efficiendi magna est diversitas, nec ubique ratio eadem aut motus, trifariam dividitur, primūm in *procreantem*, quæ prima rem efficit, & *conservantem*, quæ factam tuetur. ibi effectum dicitur *procreatum*, hinc veró *conservatum*: ut

Procreans.

Procreatum.

		{	<i>Charitas.</i>
		{	<i>Pax.</i>
		{	<i>Gaudium.</i>
<i>Spiritus S. ad Galat. 5.</i>		{	<i>Lenitas.</i>
		{	<i>Fides.</i>
		{	<i>Mansuetudo.</i>
		{	<i>Temperantia.</i>
<i>Oppressio</i>	} <i>Rom. 5.</i>	{	<i>Patientia.</i>
<i>Patientia</i>		{	<i>Experientia.</i>
<i>Experientia</i>		{	<i>Spes.</i>
<i>Solon.</i>	}		<i>Lex.</i>
<i>Draco.</i>			<i>Dies.</i>
<i>Sol.</i>		{	<i>Albani.</i>
<i>Æneas.</i>		{	<i>Romani.</i>

Hæc seorsim considerata argumenta sunt, non axiomata. nullum enim hinc est vinculum connectēs, unde neque veritatem neq; falsitatem, neq; affirmationem neq; negationem, quæ vinculi sunt comites, inesse intelligimus; sed si vinculo accedente connectantur, axiomata fuerint; simplicia, si verbo; composita, si conjunctione.

Axioma ex causis procreantibus & effectis procreatis.

Fructus Spiritus sancti est charitas, gaudium, pax, lenitas, fides, mansuetudo, temperantia.

Oppressio patientiam efficit, patientia experientiam, experientia spem.

Solon liberos, qui parentes non alerent, pro obscuris & ignobilibus habendos, legem tulit.

Otium sectantes á quolibet in jus vocari accusariq; posse, sanxit Draco.

Sol toto calo luce diffusa diem efficit.

genus unde Latinum

Albaniq; patres & altæ mœnia Romæ.

Hæc dispositio causa procreantis & procreati effecti simplicissima est, binorum scilicet argumentorum, quorum alterum antecedit, alterum consequitur. Operosior deinde erit dispositio trium scilicet argumentorum, vel tertii, cum quaestione. Si enim enunciatum est dubium, quaestio efficitur, ad cuius fidem tertio opus est argumento; quorum legitima inter se compositio Syllogismus appellatur.

Quaestio.

Argumentum á causa procreante.

Estne lex de parentibus alendis utilis & accipienda?

Quia Solon tulit.

Estne lex de otio Atheniensis Reipub. approbanda?

Quia Draco sanxit.

Estne jam toto calo diffusa luce dies?

Quia sol ortus est.

Suntne Albani Romaniq; á Trojanis oriundi?

Quia Aeneas primus est ipsorum parens & origo.

Hic disputatum est effectum procreatum ex causa procreante, id est per causam procreantem fides fit, & discribitur de effecto procreato.

Quaestio.

Argumentum ab effecto procreato.

Sensuitne Solon parentes honore afficiendos?

Tulit enim legem, liberos qui parentes non alunt, pro ignobilibus habendos.

Draconine

Draconine otium displicuit? Otiantes enim à quolibet in
jus vocari accusariq; pos-
se sanxit.

Estne sol ortus? Dies enim est toto calo diffu-
sa luce.

*Fuitne Æneas heros inter-
ritus, fortis & magnani-
mus?* Albanos enim Romanosq; in-
territos, magnanimos &
fortissimos genuit.

Hæc procreans est caussa, itemq; procreatum effe-
ctum eorundemq; per exempla illustratio. Ubi illud axio-
ma observari potest: *Si procreans est, effectum posse pro-
creari*: ut, si parentes sunt, procreari possunt liberi. & vicis-
sim contra: *Si effectum est procreatum, à procreante pro-
creatum esse necesse est*: ut, si liberi sunt, à parentibus pro-
creatos esse necesse est. Validius itaque ab effecto pro-
creato ad procreantem causam disputatur, cum id quod
procreat, frustra aliquando agere possit. non enim semper
è mare & foemina liberi existunt; si verò extiterunt, è ma-
re & foemina extitisse necesse sit. Si verò necessaria est
procreantis & procreati connexio, utrinque æquè validè
disputatur: ut, quia fides & Spiritus sanctus necessariò co-
herent, ab utroq; ad alterum rectè disferitur: ut, Spiritus
sanctus regit Davidem, credit igitur: & vicissim, credit,
Spiritu igitur sancto regitur. Sol ortus est, dies igitur: &
dies est, sol igitur ortus.

Conservans rem effectam & procreatam tuetur. Con-
servans autem caussa intelligitur efficere, sed adjuvando
addendoq; toti particulam aliquam, ut exemplis hæc fa-
miliariora evadent.

Conservans.

Conservatum.

Jehova.

{ *Contriti corde.*
Dejecti animo. } Psal. 34.
Porta Sion & Hierusalē. Psal. 147.
{ *Advena.*
Pupilli.
Vidua. } Psal. 146.

Conservans.

Conservatum.

Joseph.

Ægyptus á fame.

Cicero.

*Romana respub. á conjura-
tione Catilinaria*

Sal.

Carnes á putredine.

Hinc axiomata é conservante caussa & effecto conser-
vato existunt hujusmodi: *Jehova adest his qui contrito
sunt corde, & qui dejecto sunt animo salvat, roborat vectes
portarum Sion & Hierusalem, custodit advenas, pupillos &
viduam defendit.*

Joseph ingruente fame Ægyptum conserva vit.

*Ego hoc imperii domicilium sartum tectum ab omni pe-
riculo conserva vi.*

Sal carnes á putredine tuetur.

Dubiæ quoque quæstiones modó á conservante, mo-
dó á conservato effecto disputantur probanturque, & pri-
mum quidem, ubi caussa conservans pro tertio argu-
mento adhibetur.

Quæstio.

Argumentum á caussa
conservante.

*Etiamsi ambula vero per
vallem umbra mortis, non
timebo malum.*

*Quoniam tu mecum es, vir-
ga tua & baculus tuus
ipsa me consolantur.*

*Laborantibus frumenti pe-
nuria circum Ægyptū ja-
centibus regionibus, Ægy-
ptus frumento sola abun-
davit.*

*Joseph enim in multos annos
Ægyptiis prospexerat, &
ab ingruente fame tuta-
tus est.*

*Roma á conjuratis Catilina-
riis nihil mali passa est.*

*Quia Cicero sua sagacitate
Catilina impetum fregit
Romamq; liberavit.*

*Non facile hæc caro compu-
truerit.*

Sal enim putredinem arcet.

Sequitur deinceps ubi effectum conservatum adhi-
betur pro tertio argumento ad arguendum causam con-
servantem.

Quæstio.

Quæstio.

Argumentum ab effectu conservato.

*Lauda Hierusalem Jehovã,
lauda Deum tuum Sion.*

Quoniam roborat vèctes portarum tuarũ, & benedicit filiis tuis in medio tui.

Meritò Josephus amplissimis honoribus à Pharaone decoratus est.

Quoniam Ægyptiis fame laborantibus in septimũ usq; sterilitatis annũ subvénit.

Si aliquo tempore his hominibus consulistis, quorũ animus est religionis pietate defunctus, debetis mihi quoq; prospicere.

Quoniam hoc imperii domicilium sartum tectum ab omni periculo conservari, & vos ut tutam tranquillamq; fortunam traheretis, mea perfecit vigilantia.

Sal omnium condimentorum est utilissimum.

Quoniam à putredine carnes arcet.

Hæc causã est conservans & effectum conservatum eorundemq; per exempla explicatio, ubi axioma observetur: *Si conservans est, effectum salvum, tutum & incolume esse posse, & contrã: ut, Nihil metuo myriades populorum, inquit David psal. 3. Tu enim Jehova Deus prodibis ad salvandum me.* Et contrã: *Si Jehova nõ custodit civitatem, frustra vigilat custos.* Hinc est nobilis illa medicinæ scientia, De conservanda valetudine. Potest verò una eademq; causã & procreare & procreatum conservare, unde non distributionem, sed distinctionem tantum esse colligimus: ut, otium amorem procreat & conservat, parentes gignunt liberos & eosdem fovent; Deus fabricatus est mundum & omnes naturas mundo comprehensas, & etiam nunc hodie divinã providentiã tuetur. Spiritus sanctus fidem gignit, & eandem in nobis tuetur & conservat. Denique ex causã conservante & procreante amplissima oratoribus seges est & materia in laudando & vituperando à majoribus & parentibus tanquam procreantibus, deinde ab educatione tanquam conservante, ut exempla ubique obvia dilucidè & clarè exhibent.

Alterã distinctio est in causã solam & cum aliis.

Sola causã est, quæ sola reddit aliquid effectum sine

alterius adminiculo & adjumento. Vulgò appellatur *totalis*, cujus effectum solitariae causae effectum dicitur: ut;

Causa sola.

Deus.

Simson.

Horatius Cocles.

Nisus.

Hinc axiomata e caussa sola ejusque effecto existunt hujusmodi:

Solus Deus peccata remittit.

Simson a nemine adjutus mille virorum Philistaeorum occidit.

Horatius Cocles solus in ponte sublicio hostium impetum sustinuit.

Nisus solus auctor est cadis Sulmonis & Tagi.

Deniq; etiam syllogismi e quaestione & argumento, quod nunc est causa sola, aliquando etiam effectum causae solitariae conficiuntur.

Quaestio.

Argumentum a causa sola.

Romanus Pontifex frustra condonandi peccata facultatem sibi sumit.

Solus enim Deus peccata remittit.

Non est quod Israëlitae quippiam sibi vendicent, laudis de cade mille virorum.

Cum solus Simson eam perpetraverit.

Nec etiam Romani.

Cum solus Cocles hostium impetum sustinuerit.

Euryalus est extra culpam cadis Sulmonis & Tagi.

Cum Nisus solus perpetraverit.

Hic causa sola ad explicationem effecti est adhibita; deinceps vero vicissim contra per effectum illustrabitur causa.

Quaestio:

Argumentum ab effecto causae solitariae.

Christus est verus Deus.

Quia peccata remittit.
Singularè

Singulari virtute & plus
quàm heroica Simsonem
preditum fuisse necesse est.

Merito Horatio Coclii sta-
tua in comitio posita est,
& agri quantum uno die
circumaravit, datum.

Nisus animo fuit intrepido.

Quia mille Philistaorū ma-
xillā asini occidit.

Quia solus copias hostium
sustinuit.

Solus enim cum hostibus est
congressus.

Hæc de causa sola; ubi illud observandum axioma: Si
causa est sola, ex ejus solius moturē existere posse: sin minus,
non posse: ut, si fiducia Christi est, salvamur; si non est, sal-
vari non possumus. Si sol est ortus, dies est; sin minus, non
est dies.

Causa cum aliis agit, adjuta alterius adminiculo &
adjumento, & ita simul conjuncte rem reddunt effectam.
Vulgo partialis dicitur.

Causa cum aliis.

Effecta earundem.

Cymothoë

Triton.

Neptunus.

Eurus.

Notus.

Africus.

Natura.

Præcepta.

Exercitatio.

Detrudere Trojanorum
naves à scopulis.

Tempestas in mari Siculo.

Efficere artificem.

Hinc existunt axiomata, & quidem quàm sæpissimè
copulata, propterea quòd causæ multæ copulativâ con-
junctione connectantur: ut Æneid. 1.

Cymothoë simul & Triton adnixus acuto

Detrudunt naves scopulo, levat ipse tridenti.

Unâ Eurusq; Notusq; ruunt creberq; procellis

Africus, & vastos tollunt ad littora fluctus.

Natura, ars & exercitatio Tullium excellentem orato-
rem effecerunt.

Existunt & syllogismi é dubia scilicet quæstione & ar-
gumento, quòd modò est causa, adhibita ad disputan-
dum effectum: ut,

Quaestio.

Causa cum aliis.

Celerrimè à scopulis Trojanae naves detrusa sunt.

Cymothoë enim, Triton & Neptunus simul sunt adnixi.

Non exigua fuit tempestas ab Æolo in mari Siculo excitata.

Nam Eurus, Notus & Africus simul flaverunt.

Romanorum oratorum facile princeps est Cicero.

Quia natura & arte pra aliis fuit instructus, & exercitatione longoq; usu confirmatus.

Modò effectum é pluribus causis natum ortumq; adhibetur ad arguendum causas: ut,

Quaestio.

Effectum ex concausis natum.

Cymothoën, Tritonem & Neptunum Trojanis fuisse verisimile est.

Nam eorum naves in scopulos aëtas detruserunt.

Eurum, Notum, & Africum verò in Troianos conjurasse.

Mari enim Siculo turbato Trojanorum classem disjecerunt.

Natura bonitas, ars & exercitatio in quavis disciplina sunt conjungenda.

Quòd conjuncta excellentes faciant artifices.

Ubi hoc axioma observandum: Si causa est hujusmodi qua sola nihil possit, verù ab aliis adjuvetur, ab unica causa effectum argui non posse, nisi omnes simul conjungantur, quam vocant fallaciam ab enumeratione causarum non sufficiente: ut, Naturà disserit & præceptis adjuvatur. Ergo est bonus Dialecticus. cum præ natura & præceptis quàm maximè opus sit exercitatione & usu:

Solus enim ut dicitur & artifices qui facit usus erit.

In causis deinde cum aliis hoc observandum præterea, aliam esse principem sive principalem, ut exercitatio, imperator, architectus; aliam verò adjuvantem, sociam & administram esse, ut naturæ bonitas & præcepta, milites & ministri. Denique inter adjuvantes sive administras recenseri & instrumenta adjuvant enim efficientem & co-

& eorum motu effecta existunt, & propterea affecta sunt
tanquam causæ erga sua effecta: ut,

Instrumentum.

Effectum instru-
menti.*Maxilla asini.**Cædes mille virorum.**Funda & lapillus.**Prosternitur Goliath.**Tridens.**Detrudere naves.**Caduceum.**Lites & discordias dirimere.*

Hinc axiomata disposita ex instrumento & illo ipso
effecto, quod efficitur instrumento:

*Mille virorum maxillâ asini sunt occisi.**Fundâ & lapillo Goliath est prostratus.**Tridentem naves Trojane scopulis sunt detrusæ.**Caduceo Mercurius bella finiebat & pacem sanciebat.*

Hinc etiam quæstiones variè disputantur. Remotis enim & negatis instrumentis ad rem efficiendam necessariis, nihil effici posse intelligimus. Quo modo disputat Vellejus ille Epicureus apud Ciceronem primo de natura: *Neque vectes, neque ferramenta, neque molitiones, neque machina, neque ministri, Platonico illi Deo fuerunt. Non igitur mundus ab eo est fabricatus.* Remotis enim instrumentis necessariis effectum removeretur. Sed falsa hæc est disputatio, ut ex sacris literis notum est. Per fidem enim, ut est ad Hebræos 11. intelligimus mundum constructum fuisse verbo Dei, ita ut non sint ex apparentibus facta quæ cernimus.

Restat denique distinctio tertia, qua *Efficiens per se* efficere dicitur, aut *per Accidens*. *Per se* efficiunt, quibus agendi facultas insita & innata est, & quidem naturâ, aut consilio. Naturâ dicuntur agere, quæ rationis expertia sola naturali quadam agendi facultate efficiunt. quapropter etiam Aristoteles naturam lib. 2. de physica auscultatione definit agendi principium in quo inest per se. Quamobrem naturâ à Ramo dicitur agere per se. & sic Cicero lib. 2. de natura, *Alii naturam, inquit, censent vim esse quandam sine ratione cientem motus in corporibus necessarios.* Nam substantiæ physiciæ, quarum proprium hoc est argumentum, insitâ & innatâ vi agunt, & quæque prout est natura unde dicitur.

Natura sequitur semina quisq; sua.

Est itaq; hic caussa efficiens naturalis, & propterea etiam effectum naturale fuerit: ut,

Caussa naturalis. Effectum naturale.

Aurum.

Sistere lepram.

Hematites.

Sistere sanguinem.

Magnes.

Trahere ferrum.

Ignis.

Urere.

Unde axiomata é caussa naturali & naturali effecto existunt: ut,

Aurum sistit lepram.

Hematites sistit sanguinis profluvium.

Magnes trahit ferrum.

Ignis urit.

Disputantur denique dubiæ quæstiones argumentis hinc desumptis, & quidem modó á caussis effecta arguentibus; ut,

Quæstio.

Argumentum á caussa naturali.

Lepra latius non serpit.

Quia aurum potü prohibet.

Sanguis sistetur.

Hematites enim corpori est admotus.

Ferrum trahitur & loco se movet.

In propinquo enim est magnes.

Urit.

Quia ignis.

Modó desumptis argumentis ab effectis, ut inde caussæ arguantur: ut,

Quæstio.

Argumentum ab effecto.

Aurum potum leprosis con-
ducit.

Quia prohibet ne lepra latius serpat.

Hematites est siccus & a-
stringendi facultate præ-
ditus.

Quia sanguinem sistit.

Naturalis quedam sympa-
thia magneti est cum
ferro.

Illud enim attrahit.

Ignis est calidus.

Quia urit.

Hæc

Hæc de naturali causa ejusque effecto; ubi hoc axioma observetur: *Si naturalis causa est, rem necessario effici. non enim qua natura agunt, non agere, aut aliud agere, aut actionem in aliud tempus differre possunt, nisi impediuntur:* ut, Magnes non potest non trahere ferrum, nisi cepa illinatur confriceturque. Sic oculus non potest non cernere, nisi quid officiat. Verum de rebus officientibus legantur earum antipathia.

Consilio agere dicuntur naturæ rationales, in quibus scilicet voluntas & deliberandi facultas inest. Sic Deus, genii, homines consilio & voluntate agunt.

Voluntas.

Voluntatis effectum.

Deus.

Misereri & indurare.

Diabolus.

Mentiri & avertere se a veritate.

Cicero volens & sciens.

Ad pestem ante oculos positam proficisci.

Pamphilus vivus vidensq.

Perdere se & perire.

Hinc axiomata e voluntate & consilio efficiente eorundemq; effecto componuntur hoc pacto: ut, Deus cujus vult, miseretur, quem autem vult, indurat.

Diabolus sua sponte mentitur & a veritate se avertit.

Cicero volens & sciens ad pestem ante oculos positam proficiscitur.

Pamphilus prudens, sciens, vivus vidensq; se perdit peritq.

Hinc & syllogismi e quaestione scilicet per tertium argumentum disputata, quod aliquando est causa consilio & libera voluntate agens.

Quaestio:

Argumentum a consilio libero.

Electio non est ejus qui velit, neq; ejus qui currat.

Est enim Dei, qui, cujus vult miseretur, & quem vult indurat.

Falso arbitrantur Manichæi, Diabolo natura esse mendaces.

Cum consilio & libera voluntate mentiantur & a veritate sint aversi.

b ij

Cicero non temeré Pompeji partes est secutus. Consilio enim suo ipsius & rō deliberata in Graciam concessit.

Parmeno non est miserandus. Sua enim sponte Thaidem deperibat.

Aliquando veró est consilii & liberæ voluntatis effectum: ut,

Quæstio.

Argumentum ab effectu voluntatis.

Deus est mens consilio suo omnia gubernans. Prout enim placet, omnia disponit.

Diabolus consilio & libera voluntate periit. Cúm enim angelus posset esse lucis, á Deo tamen se avertit.

Cicero volens sciensq; Pompejanas partes est secutus. Cúm enim posset quiescere & tutus Romæ manere, ad Pompejum tamen in Graciam concessit.

Parmeno sponte sua periit. Thaidis enim blanditiis locum concessit.

Axioma híc est: Si voluntas & consilium est, et si res non redditur prorsus effecta, ut efficiatur tamen tentari potest: ut; Quia Cajo Mutio Porfenam occidendi voluntas fuit, necem illi inferre molitus est, quamvis non interemit. Et quia Catilinæ animus fuit Romam funditus evertere, illud efficere studuit, quamvis obstante Cicerone exitum nefarius ejus conatus non sit sortitus. Hinc sumuntur etiam laudes personarum, quando animus, honesta conatus, licet effecta non reddiderit, commendatur. Hinc itidem vituperamus scelesti hominum studia & molitiones. Denique hinc etiam Rhetores in statu judiciali factum probant, cúm scilicet aliquem reum agere conantur, quód scilicet hujusmodi scelus efficere animus ipsi fuerit.

Hæc de causæ efficientis in tertia distinctione membro priore; sequitur alterum in *caussa efficiente per accidens*, & quidem dupliciter: *necessitate* scilicet efficientem causam impellente, & *fortunâ* præter opinionem, spem & expectationem quippiam efficienti offerente. Nam in hujus-

huiusmodi causa efficiens externa & foris adveniente vi & energia agit efficitque.

Necessitate agunt, quae ingruente seu urgente necessitate impelluntur cogunturque vi ad effectum: ut,

Causa necessitate coacta.	Effectum causae coactae.
------------------------------	-----------------------------

Lucretia.	Succumbere Sexto Tarquinio.
Aeneas.	Discedere Carthagine.
Catilina.	Cum hoste conflagere.

Hinc axiomata ex causa propter necessitatem efficiente, eiusque effecto composita:

Non quod volo hoc ago, sed quod odi hoc facio. Paul. Rom. 7.

Lucretia coacta succubuit Sexto Tarquinio.

*Me nunc Italiam magnam Grynaeus Apollo,
Italiam Lyciae iussere capessere sortes. Aeneid. 4.*

Et paulo post:

Italiam non sponte sequor.

Cum hostibus conflagere, frumenti aliarumque rerum egestas cogit.

Hinc item quaestiones dubiae disputantur a tertio argumento, quod aliquando est causa necessitate impulsiva agens: ut,

Quaestio.

Argumentum a necessitate impellente.

Lucretia veniam meretur.

Vi enim coacta est ad stuprum.

In vitus, regina, tuo delittore cessi.

*Nam me iussa deum qua
nunc has ire per umbras,
Per loca senta situ cogunt no-
ctemque profundam
Imperius egere suis.*

*Diutius his locis commorari,
si maxime animus ferat,
non possumus, & forti-
ter est pugnandum.*

*Frumenti enim aliarumque
rerum egestas prohibet, &
quocumque ire placet, ferro
aperiendum est iter.*

Aliquando est effectum causæ necessarió agentis: ut,

Quæstio.	Argumentum ab effecto causæ necessarió coactæ.
----------	--

Cogitúrne Paulus ad peccandum natura vitiositate?

Quia invitus peccat.

Lucretia Sextus per vim stuprum intulit.

Quia coacta paruit.

Fata Æneam in Italiam advocaverunt.

Carthagine enim invitus discessit.

Ubi axioma: Si necessitas urget, rem effici ob impendentem necessitatem: hæc enim, ut dicitur, durum est telum: & Catilina propterea á necessitate ad fortiter pugnandum suum hortatur exercitum; Exercitus, inquit, hostium duo sunt; unus ab urbe, alter á Gallia obstant; diutius in his locis esse; si maximé animus ferat, frumenti atq; aliarum rerum egestas prohibet; quocunq; ire placet, ferro iter est aperiendum.

Fortunâ denique agere dicuntur, quæ præter scopum intentum, propositum & consilium agunt, aliudque existit, quàm efficiens sibi proposuerat. & vicissim, Fortunâ fieri dicuntur, quæ præter scopum & consilium agentis eveniunt: ut,

Fortunâ efficiens.

Fortunâ effectum.

Hostis pugnans.

Sanare hostem Jasonem Phœream.

Piscatores Megarenses.

Invenire aureum tripodem.

Deianira.

Herculem interimere missâ ei tunicâ Centauri sanguine tinctâ.

Hinc axiomata existunt, causâ fortuito efficiente, & ipsi us effecto simul junctis: ut,

Hostis pugnans præter spem Jasonem Phœream sanavit.

Piscatores Megarenses præter expectationem aureum tripodem ceperunt.

Deianira

Deianira, quod minimè speraverat, Herculem missâ tunnicâ Nessi Centauri sanguine tinctâ interfecit.

Sed hujusmodi actiones esse fortuitæ, ex vero fine & scopo efficientium intelliguntur disputanturque.

Quæstio.

Disputata ex vero fine.

Hostis pugnans præter spem Jasonem Pheraum sanavit, apertâ desperatâ vomica.

Pugnavit enim in eum ut ipsium occideret.

Piscatores Milesii præter expectationem aureum tripodem ceperunt.

Piscabantur enim ut pisces caperent.

Deianira minimè speraverat Herculem se interempturam.

Miserat enim vestem Nessi Centauri ut maritum Herculem ab Joles amore revocaret.

Fortunam interim nihil aliud esse memineris quam nomen inane; cum nihil sit fortuitum. Omnia enim Dei providentiâ gubernantur; verum cum occultiore eventus rei; effectæ causam ignoremus, fortunæ tanquam effectrici attribuimus, & fortunâ quâdam evenisse dicimus. Quapropter elegantissimè Juvenalis Satyra 10. extrema:

Nullum numen abest, si sit prudentia: sed te

Nos facimus fortuna, deam caloq; locamus. id est,

Si causas habemus cognitâs, o fortuna, nullum numen divinamve potentiam tibi attribuimus; sed si causas ignoramus, eventus & effecta tuo numini, tanquam deæ, attribuimus.

In hoc causarum genere temeritas & imprudentia connumerari solent; sæpeq; culpam hinc solemus deprecari, quod scilicet temerè, quod imprudenter quippiam commiserimus: ut pro Lig. *Ignosce pater, erravit, lapsus est, non putavit, si unquam posthac.*

Sed hætenus de causâ efficiente ejusq; effecto.

SEQUITUR altera causâ in MATERIA. Sed antequam

b. iiij

longiùs progrediamur, de ipsius vocis duplici significatione dicemus. Reperimus autem dupliciter à Cicerone usurpari: nunc pro subjecto, nunc pro causa. Pro subjecto, occupante scilicet & exercente adjunctum. Hinc Cicero I. de Inventione, *Materiam artis*, inquit, *eam dicimus, in qua omnis ars & ea facultas quæ efficitur ex arte, versatur. ut, si medicina materiam dicamus morbos ac vulnera, quòd in his omnis medicina versetur. Item quibus in rebus versatur ars & facultas oratoria, eas res materiam artis Rhetorica nominamus.* Hec ille. Sed de huiusmodi materia in subjecto, hic nihil dicemus. Pro causa autem usurpatur hic ea, ex qua res qualiscunque fit, facta est, fiet, revera vel etiam fictè. Quapropter huc referenda sunt, quæ Physici variè de materia prima & secunda disputant. Quod autem ex materia efficitur, materiatum, si Latine loquedi ratio pateretur, appellari posset: nobis tamen docendi gratiâ hoc nomine deinceps appellabitur. quorum exempla sunt huiusmodi:

Materia.

Jaspis, sapphirus, chalcedonius, smaragdus, sardonius, sardius, chrysolithus, beryllus, topaxius, chryso-prasus, hyacinthus, amethystus, margarita duodecim, aurum purum, & tanquam vitrum pellucidum.

Aurum.

Pyropus.

Ebur.

Argentum.

Æs.

Ligna & lapides.

Materiatum.

Nova Hierusalem, Apocalypseos 21.

Regia Solis.

Domus Fame.

Muri Gallici.

Hinc axiomata è materia & materiato dispositis sibi-que conjunctis existunt.

Ex jaspide, sapphiro &c. duodecim margaritis & auro, nova Hierusalem est extructa.

Regia Solis est aurea, argentea, eburnea & ex pyropo.

Domus Fame est anea.

Muri

Muri Gallici lignei sunt & lapidei.

Hinc denique quaestiones disputantur, modo ex materia pro argumento tertio: ut,

Quaestio.	Argumentum á materia.
<i>Nova Hierusalem tota est splendida & lucida.</i>	<i>Constat enim ex jaspide &c. margaritis & auro.</i>
<i>Regia Solis tota est clara.</i>	<i>Micat enim auro, pyropo, argento & ebore.</i>
<i>Domus Fama tota fremit, vocesq; refert, iteratq; quod audit.</i>	<i>Est enim ex aere sonante.</i>
<i>Muri Gallici ab incendio & ariete sunt tuti.</i>	<i>Facti enim sunt ex lapide & ligno.</i>

Modo ex materiato tanquam argumento tertio materiam suam vicissim arguente explicanteque.

Quaestio.	Argumentum á materiato.
<i>Jaspis &c. & margarita, preciosissima sunt gemmae, & aurum optimum metallum.</i>	<i>Nova enim Hierusalem quae nullum est prestantius aedificium, ex illis est constructa.</i>
<i>Aurum, argentum, pyropus & ebur naturam esse fulgida constat.</i>	<i>Quod hinc scilicet Solis regia lucidissimum domicilium sit extracta.</i>
<i>Aes inter metalla quam maxime sonat.</i>	<i>Domus enim Fama, quarum musculis & murmure est plena, est aenea.</i>
<i>Lignum & lapis ad defensionem urbium quam maxime sunt utilia.</i>	<i>Gallici enim muri ex illis facti sunt.</i>

Ubi axioma: Si materia est, rem effici posse: sin minus, prorsus non posse; cum omnia ex materia tanquam altera causa essentiali constent, quaeque negata negari effectum necessarium sit, ut potius materia negata evertat effectum, quam affirmata illud ipsum affirmet, & plus hic est efficaciae ad cohortandum quam ad inferendum: ut, Panes pinsi non possunt; deest enim farina; aurum annulus fieri non potest, cum desit aurum. Valet autem plurimum ad cohortandum: ut, Praecepta hic sunt, Dialectica, Grammatica,

Rhetorica, Arithmetica, Geometrica; (præcepta enim & regulæ artium earundem sunt materiæ, etiamsi vel solâ mente concipiantur) *quin igitur discimus disserere, loqui, dicere, numerare & metiri.* & si qua sunt similia.

Hæc de primo causæ genere, *efficiente* scilicet, & *materia*; primâque effectorum classe, *effecto* scilicet proprie dicto, & *materiato*; unde metonymiæ existunt efficientes, effecti & materiæ. In metonymia efficientis usurpatur, vocabulum efficientis pro sui effecti vocabulo: ut vicissim in metonymia effecti, effecti vox pro efficientis voce: ut, *Mars pro bello, Livius pro sua historia, juvenus cæca, senectus tristis, mors pallida*, quod juvenus cæcos juvenes, senectus tristes senes, mors pallidos mortuos efficiat. Similiter materia pro materiato: ut, *aurum, argentum, æs, pro aureis, argenteis, æneis nummis vel supellectile.*

Sequitur causæ genus posterius in
forma & sine.

FORMA est *caussa, effectum informans; ut, per formam res informata sit id ipsum quod est, & à cæteris discriminetur.* ut hinc formam formatæ rei congenitam esse intelligamus, adeo, ut cum forma est, res informata sit, & vicissim contra, cum res est informata, sit etiam forma. Tanta autem ejus est præstantia, ut vel sola scientifica sit. Quapropter philosophi omnes hinc maxime occupati fuerunt, non in generalis formæ logica definitione, sed in effigie & in rerum physicarum, ethicarum, & cæterarum rerum omnium formis investigandis; quas cum non inveniunt, alii aliter exclamaverunt: Anaxagoras omni tenebris esse circumfusa, Empedocles angustas esse sensuum vias, Democritus in puteo quodam se alto, ut fundus sit nullus, veritatem jacere demenam; Socrates hoc unum se scire, quod nihil sciat. Adeo, inquam, cæteris hoc præstat argumentum, ut n: Jupiter quidem ipse, si cum Pallade artium dea præide disserat, excellentius ac divinius argumentum potulet ac requirat. Quapropter hominibus formam plerisque in rebus denegatam, solius Dei sapientiæ, tanquam propriam reservatam arbitror: si
veró

veró ab hominibus cognoscitur, ut corporis humani, ut navis, ut ædificii; vix tamen multis rebus collectis exprimitur. Utilitas formæ unica est, & quidem permagna, unde tamen alia tanquam umbra existit & pognat: illa est rem informare; per eam enim res est id quod est. quapropter Aristoteli modó appellatur *ratio essentialis*, modó *specifica ratio & essentialis*, aliás *species & exemplar*, persæpe veró *forma & ratio*. Porphyrio quoque *specifica, completiva, constitutiva*; hæc veró formatam rem á cæteris rebus distinguere; eoque nomine Porphyrius eam appellat *divisivam sive dividentem*, quia species generis aliás ab aliis dividit & distinguit; & tum etiam *differentie* dicitur. Formulæ denique effectum *formatum* appellatur, quód scilicet vi formæ est, ut effectum effici-entis, materiatur materiæ.

Forma.

*Anima rationalis.**Actionis honestas.**Sui cuiusq; tributio.**Absoluta rotunditas.*

Hinc axiomata é forma & formato composita:

*Homo est rationalis.**Virtus est actionis honestas.**Justitia suum cuiq; tribuit.**Globus est absoluté rotundus.*

Hinc dubie quoque quæstiones disputantur, modó á forma: ut,

Quæstio.

*Virtus etiam si á nemine laudatur, laudabilis remen est naturá.**Justitia furta & rapinas prohibet.**Globus in quamlibet partem est volubilis.**Homo disciplina est capax.*

Formatum.

*Homo.**Virtus.**Justitia.**Globus.*

Argumentum á forma.

*Est enim ipsa actionis honestas.**Suum enim cuiq; tribuit.**Itipote absoluté rotundus.**Itipote rationalis.*

Modó veró á formato formam vicissim arguente: ut,	
Quæstio.	Argumentum á formato.
<i>Suum cuiq; tribuere, validis-</i>	<i>Quia justitia.</i>
<i>simum est humana socie-</i>	
<i>tatis vinculum.</i>	
<i>Anima rationalis Dei est i-</i>	<i>Quia homo.</i>
<i>mago.</i>	
<i>Figura absoluté rotunda est</i>	<i>Quia globus.</i>
<i>volubilis.</i>	
<i>Actionis honestas inter duó</i>	<i>Quia virtus.</i>
<i>extrema vitia consistit.</i>	

In artibus tradendis præcipuè dominatur forma; & propterea, ut quisque artifex est optimus, ita quoque formas habet perispectivissimas. In artificialibus autem rebus, ut sunt navis, domus, calceus, arca, & si qua sunt similia, quia sensibus sunt expositæ, facilius occurrunt. Hinc apud poetas, oratores, historiographos, aliosque scriptores pleniores formarum adumbrationes sunt. Sic Virgilius portum Carthaginensem plenius delineat Æneid. 1. Similiter Cæsar muros Gallicos lib. 7. & similiter alii aliarum rerum formas multis rebus collectis explicant.

Hinc axioma: *Quia forma aequé laté patet atq; formatum, vicissim retró forma & formatum inter se conmeant, ut affirmato uno affirmetur alterum, negato veri, negetur;* ut hinc absoluté necessaria existant & componantur axiomata: ut, *homo est rationalis;* nunquam enim non & fuit, & est, & erit necessarió verum. Hinc itidem dubiæ quæstiones omnium firmissimè arguuntur disputanturque, ut pauló anté vidimus.

FINIS ad extremum ex causis superest.

Est autem FINIS, *cujus gratiâ st res.* Cúm auté propter usum, fructum & utilitatem res quæque sint, quos ex illis percipimus: usum, fructum, utilitatem cujusque rei finem esse intelligimus. Sic artium usus, utilitas & fructus, quos hominum generi adferunt, earundem est finis, modó is sit, quem artifex, quoties vult, consequi & præstare potest: ut, *benedicere, non auté persuadere, est Rhetorica finis:* & ad quem præceptiones omnes tanquã communem scopum referuntur, tendunt & adspirant: ut, *Benedicere*

dicere, Rhetorica est finis, non autem tropis & figuris exornare. hoc enim sola Elocutio non itē Pronunciatio propositum sibi habet. Non itaque artis finis sit fortuitus, neque unius alicujus partis, sed totius corporis omniumque præceptionum communis. Cū denique Finis usus sit, & fructus & utilitas rei, jam materiā & formā constantis, inter causas est ultima; eo enim ordine causæ collocandæ sunt, quo efficiunt, & effectum reddunt producuntque. Propterea quia ab efficiente motus est principium, materiam scilicet movente, eamque informante, finis verò informatæ est usus & utilitas, efficiens loco sit primo, materia secundo, forma tertio, finis denique quarto.

Finis effectum alii *eventum*, alii *fini destinatum*, & quidem utriusque Latine appellant. nobis autem *finitum* dicatur, ut à materia *materiatum*, à forma *formatum*.

Finis.

Finitum.

Peccatores salvare.

Christum venire in mundum & pati.

Offensas augere.

Legislatio.

Procreare liberos.

Conjugium Deiopeje.

Preparare hospitium Trojanis.

Missio Mercurii Carthaginensem.

Hinc axiomata ex fine & finito, sive eo, quod ad finem consequendum est destinatum: ut,

Filius hominis venit in hunc mundum, non ut perderet animas hominum, sed ut salvaret.

Lex introiit, ut augetetur offensa.

Maja genitum demisit Olympo,

Ut terra, utq; nova pateant, Carthaginis arces

Hospitio Teucris, ne fati nescia Dido

Finibus arceret.

Dejopeiam

Connubio jungam stabili propriamq; dicabo,

Omnes ut tecum meritis pro talibus annos

Exigat, & pulchrâ faciat te prole parentem.

Hinc denique quæstiones ex vero fine disputantur.

Quæstio.

Quæstio.	Argumentum á fine.
<i>Christum pati necesse fuit.</i>	<i>Ut enim implerentur scriptura, passus est.</i>
<i>Legislatio admodum est salutaris.</i>	<i>Ut enim peccata agnoscerentur, est lata.</i>
<i>Mercurium Carthaginem mitti, plurimum profuit Trojanis.</i>	<i>Ut enim hospitium illis prepararet, missus est.</i>
<i>Conjugii institutio hominũ generi admodum est necessaria.</i>	<i>Ut enim liberi procrearentur, & hominum genus esset perpetuum, est institutum.</i>

De fine axioma fuerit: Si finem es adeptus, illud quod fini consequendo est destinatum, præcessisse: ut, si eruditionem es adeptus, studuisse te & chartis invigilasse est necesse. hoc enim pacto finem, qui est eruditio, consequimur. Et hæcenus quidem de causa & effecto quæ relatè opponuntur, cum causa effecti sit causa, & vicissim effectum á causa efficiatur; quapropter conjunctim exposuimus.

Est autem maximus horum argumentorum usus in laudando & vituperando, adeo ut hinc solida laus & vituperium depromantur: ut, cum personas á parentibus, avis, proavis, majoribus, quæ causæ sunt procreantes: á nutricibus, ab educatione, quæ sunt conservantes: á rebus gestis, quæ sunt effecta: urbes á conditoribus commendamus, vituperamusque. Inprimis verò effectorum argumentum hinc dominatur & principem locum obtinet. non enim tam refert, quales fuerint procreantes & conservantes causæ, quam qualem se gesserit, qui commendatur aut improbatur.

Et hæc quidem de causæ & effecti natura; ubi si vera causa disponitur cum suo effecto, verum fuerit axioma: ut, *fides justificat*. sin verò falsa, falsum: ut, *opera justificant*. ibi pronunciat ut res est, hinc verò non item. Si vera causa per verum effectum, aut contrá, verum effectum per veram causam disputatur, constans & verax fuerit syllogismus; sin minus, inconstans & fal-

& fallax. quæ vulgò appellatur *fallacia secundum non causam ut causam*, solviturque, demonstrato illo, quod non est causa, usurpari pro causa; aut quod non est effectum, pro effecto. & hujusmodi quidem fallacia latet in materia, ut vulgò dicitur, cognosciturque ex natura rei, de qua disputatur: ut, si quæstio sit Theologica, medica, physica, ex Theologia, Medicina, Physica.

SEQUUNTUR deinceps *modo quodam Consentanea*. Dicuntur autem *modo quodam consentire*, quorum alterum accessit ad alterum, præter ipsius essentiam & naturam, ita, ut illud esse possit, etiamsi hoc non sit, & contrà; nec alterum causa sit essentiæ alteri. Estque hoc argumentum *subjectum* aut *adjunctum*; quæ species itidem relatæ sunt, & propterea conjunctim explicandæ.

SUBJECTUM *definitur, cui aliquid adjungitur*. Adjungi autem est præter essentiam accedere. Ad quod itaque aliud præter essentiam accedit, Subjectum fuerit.

ADJUNCTUM *verò est, cui aliquid subjicitur*. Subjici autem est subjacere, substratum esse & quasi sustinere hoc ipsum quod adjungitur: ut, *scientia, ignorantia, virtus, vitium, ad animam accedunt, præter ejus essentiam. Illa igitur adjuncta, hæc verò subjectum fuerit*. Dicitur autem subjectum à subjiciendo, quod quasi solum subjiciatur, subjaceat, & substernatur adjunctis, eorundemque sit receptaculum. Adjunctum verò ab adjungendo, id est, adjacendo: subjectis enim adjacent, id est, partim insunt, partim adsunt & circumstant, partim etiam occupantur. Subjectum Aristoteli *substantia*, Adjunctum verò *accidens* dicitur; interim tamen non satis logicè explicat: Quia subjiciendi subjacendi que & adjungendi, adjacendi que ratio non est una eademque. Tres eorum classes fecimus, in quarum prima Subjecta continentur recipientia in se, & Adjuncta in Sub-

jecto inhaerentia, id est, ita innitentia

ut insita sint.

Subiectum in se re-
cipiens.

Adjunctum in subje-
cto insitum.

Anima. }

{ Scientia.
{ Inscientia.
{ Virtus.
{ Vitium.

Corpus. }

{ Sanitas.
{ Morbus.
{ Robur.
{ Infirmitas.
{ Pulchritudo.
{ Deformitas.

Virtus. }

{ Laudabilitas.
{ Honestas.
Lux.

Sol.

Ex quibus hujusmodi componuntur axiomata:
Animus prae datus est scientia, inscientia, virtute, vitio.
Corpus est sanum.
Virtus est laudabilis & honesta.
Sol est lucidus.

Disputantur & syllogismi, modo ex subiecto argu-
ente adjunctum: ut,

Quaestio.

Argumentum á sub-
jecto.

*Scientia & virtutes sunt do-
tes incorporeae.*

Utpote quae insunt in animo.

*Sanitas & morbus ex prima-
rum qualitatuum crasi &
temperamento dependent.*

*Sunt enim corporis affectio-
nes.*

*Actio-
num honestas laudabi-
les facit viros.*

*Est enim virtutis propria co-
mes.*

Modo ex adjuncto arguente subiectum: ut,

Quaestio.

Argumentum ab ad-
juncto.

*Anima ad imaginem Dei est
creata.*

*Utpote in qua insunt divinae
virtutes.*

Corpus

*Corpus legitima crasi est
temperatum.*

Utpote sanum & robustum.

*Nihil æquè hominem deco-
rat ac virtus.*

*Utpote quæ sola sit laudabi-
lis & honesta.*

Sol exoriens aërem illustrat.

Utpote naturâ lucidus.

In *secunda* classe subiecta recensentur huiusmodi, quæ adjuncta recipiunt tantum ad se, vel circum se, & ejusmodi adjuncta, quæ subiectum circumstant, & adsunt tantum: quales sunt, *domini & possessores collati cum rebus possessis, agris, & dibus, divitiis, & si qua sunt similia. Similiter satellites & comites principibus adjungi, hi verò illis subijci dicuntur. Signa itidem rerum significatarum adjuncta sunt, hæc verò signorum subiecta.* Quapropter tota physiognomia, chiromantia, medicina, de urinis & signis huc est referenda. Ad hanc classem præterea, & ad superiorem referes illa, quæ appellantur vulgò *propria*, Ramo *proprie qualitates*; quæ nimirum tribus cognoscuntur notis; quarum prima est: omni subiecto convenire. altera: soli subiecto. tertia denique: convenire semper. Sed de facultate, non autem actione intelligas, cujusmodi sunt: *risus hominis, hinnitus equi, grunnius porci, boatus & mugitus bovis, balatus ovis, gannitus vulpis, & quæ Ovidius in philomela sua enumerat.* A quibus verò una ex his notis abest, *accidentia* vulgò dicuntur, Ramo *qualitates communes*; ut si non omni, aut non soli, aut non semper, convenient: ut, *mortalem, bipedem, oculatum esse, conveniunt homini quidem, at non soli: Itidem, pauperem, divitem, philosophum esse, homini attribuuntur, at non omni: Itidem, vagire & canescere, at non semper; cum illud in infantia, hoc verò in senectute illi accidat.* unde deprehendimus, hæc ipsa quidem hominis esse adjuncta, sed non propria, verum communia. Propria adjuncta vicissim retrò committant & recipiantur cum suis subiectis, ut postea latius in secundo libro: hæc verò non item. Nam propria adjuncta æquè latè patent, ac subiecta, communia verò angustiora aut latiora sunt, & propterea huiusmodi recipiatio hic nulla. Sed redeamus ad secundam classem, & exempla ejus propria:

Homo.

Divitia.

Paupertas.

Honores.

*Animus bardus, stupidus & mulierosus.**Jugula obstructa & obturata non concava.**Serotina pluvia.**Matutinus rubor.**Crastina serenitas.**Rubor vespertinus.**Animus malitiosus.**Crines rubri, nigrum os, oculi lufci, & pes claudus.*

Hinc axiomata é compositione subjectorum cum adjunctis: ut,

*Homo est dives, pauper, honoratus.**Jugula obstructa animum significant bardum.**Serotina pluvia index est matutinus rubor.**Crastina serenitatis vespertinus.**Animum malitiosum notant crines rubri, &c.*

Hinc porró disputantur dubiæ quæstiones, modó ex subjecto, sed rariús: modó ab adjuncto, & quidem sæpissimé; quód scilicet adjunctorum permagna sit copia:

Quæstio.

Argumentum ab adjuncto.

*Socrates est stupidus & bardus.**Quia jugula habet, non concava, verúm obstructa & obturata.**Hodie pluet.**Quia mané calum rubuit.**Cras erit serenitas.**Quia rubuit vesperi.**Zoilus est malitiosus.**Est enim crine ruber, niger ore, &c.*Huc referuntur etiam *Locus & Tempus*, quorum ille in subjectis, hoc in adjunctis numeratur; Logica enim utriusque est doctrina, id est, Entis & non Entis communis. Quicquid enim est aut esse imaginamur, id & in loco & in tempore esse & fieri necesse est. Sic Ovidius regiam *Famæ* mediam inter cælum, terram & maria esse fingit. Similiter regie *Solis*, hortis *Hesperidum*, campis *Elysiis*, aliisq; figmentis locum Poëtæ attribuunt, simul & tempus. Quapropter meritó utriusque doctrina é *Physica ad Dialecti-*

Dialecticam est translata. Huc accedit, quod Aristoteles ipse *Locum* in prædicamento *Ubi*, *Tempus* verò in *Quando* tradiderit. *Est* autem *Locus* *subjectum rei locata*, id est, spatium, quod adjuncta locata comprehendit & continet, aut, quod ab adjuncto locato occupatur. Unde colligimus, locum & rem locatam relatè opponi. *Tempus* verò *est duratio rerum præterita, præsens & futura*, id est, *Tempus* spatium est durationis, quam ratio mensurat & metitur præteritam, præsentem & futuram, etiamsi nullus cælestium corporum sit motus; qualis duratio etiam ante conditum mundum fuit. Quod autem Aristoteles *Tempus* definiat *numerum motus cælestium corporum, secundum prius & posterius*, vitiosum est. non enim ipse motus est tempus, sed tantum temporis mensura: ut, Solis circum terram correptio, non est dies ipse, sed tantum dici mensura; tum enim diem elapsum intelligimus, cum sol ad idem punctum, unde est progressus, rediit.

Tertiâ classe numerantur *subjecta occupantia*, quæ vulgò *objecta*, & *materia circa quas* dicuntur. Ciceroni in *Inventione materia in qua*: vulgò etiam alio nomine *argumenta*; cujusmodi sunt summæ illæ rerum fusiùs tractatarum, & occupata adjuncta. Est autem *subjectum occupans* illud, quod adjunctum exercet & occupatum habet: & vicissim adjunctum occupatum, quod à *subjecto occupante* exercetur: sic *res cogitata subjecta dicuntur hominis cogitantis, hîc verò adjunctum*.

Subjectum occupans.

Ventus.

Tauri.

Vulnera.

Oves.

Morbus.

Injustitia.

Ens, non Ens.

Sermo purus.

Natura.

Adjunctum occupatum.

Nauta.

Arator.

Miles.

Pastor.

Medicus.

Judex.

Dialectica.

Grammatica.

Physicus.

c ij

Hinc axiomata é subjecto occupante & occupato adjuncto : ut,

Nauta de ventis, de tauris narrat arator,

Enumerat miles vulnera, pastor oves.

Morbi exercent medicum.

Lites dirimenda & injustitia occupatos habent iudices.

Dialecticus de Ente & non Ente disserit.

Physicus rerum naturas investigat.

Et quæstiones porró modo é subjecto occupante, modo ex adjuncto occupato disputantur.

Quæstio.

Argumentum á subjecto occupante.

Infelix est civitas (ita enim Plato auguratur) ubi medicorum & iudicum est copia & multitudo.

Quia multam intemperantiam & injustitiam in ea versari necesse sit.

Apud Campanos nulla est ambitio.

Quia nulli sint honores, de quibus contendant.

Quæstio.

Argumentum ab adjuncto occupato.

Multam in hac Repub. intemperantiam & injustitiam versari necesse est.

Quia medicorum & iudicum est multitudo.

Nulli apud Campanos sunt honores.

Quia nulla sit ambitiosa contentio.

Intellige axioma hinc esse : Si Subjectum sit, aliquid ei adjungi posse : sin minus, non item : ut, Si animus est, virtute & scientiâ informari potest. Si colores sunt, oculus bené affectus potest videre ; sin minus, nihil viderit. Si veró adjuncta fuerint propria, posito subjecto vel adjuncto, alterum ponetur : ut, Si homo est, ridet ; &, si ridet, est homo. Et sublato uno tollitur alterum : non ridet, igitur non est homo ; &, non est homo, igitur non ridet.

Hactenus de consentaneis quodammodo ; ubi si verum subjectum cum suo componitur adjuncto ; axioma fuerit verum : ut, Plato est philosophus. sin minus, falsum : ut, Plato est indoctus. Similiter constans & verax fuerit syllogi-

sylogismus, si tertium argumentum ad disputandam quæstionem adhibitum, verum fuerit subjectum aut adjunctum: inconstans veró & fallax, si falsum; quæ falsitas postea dissolvetur ex illa arte, unde desumpta & deprompta fuerit quæstio.

SEQUUNTUR deinceps DISSENTANEA Consentaneis adversé contraria, & propterea adversa definitione definita. Ut enim consentanea cum rebus quas arguunt, consentiunt: ita *dissentanea ab illis dissentiunt*. Illa simul esse possunt, hæc veró non item; sed unum si sit, alterum non fuerit. Illa in axiomate vero recté affirmantur: ut, *homo est rationalis*. hæc veró negantur: ut *homo non est bestia*. Consentaneorum usus permagnus est in docendo, imó consentanea in docendo dominantur. cum enim rerum naturas affectionesque proponimus, negando sané fieri non potest, sed affirmando. Dissentaneorum veró usus in refellendo refutandoque adversariorum sententias & opiniones cernitur. Itaque consentaneorum natura in mutua amicitia, dissentaneorum veró in inimicitia & antithesi consistit. Intellige interim hîc obiter, Rhetorum illam antithesin, quam figuram comminiscuntur, cum scilicet contrariis rem propositam illustrent, figuram minimé esse, sed tantum argumentum dissentaneorum. *Affectio porró dissentaneorum propria duplex est. Prima, æqualis arguendi facultas, emphasis & energia, ut quanta vis inest uni, tantundem inest alteri: ut exempli gratia, quanta vis arguendi vitium inest virtuti, tantam etiam obtinet vitium, ut ab ipso virtus arguatur*. cum secus sit in consentaneis, ubi priora sunt notiora, firmiora & præstantiora, & contrá. *Alterá, quód antithesis, dissensio & oppositio utrunque dissentaneum reddat clarius & illustrius, ut etiam vulgó dicatur: Contraria juxta se posita magis elucescere*. Quapropter, quid sit virtus, clariús intelliges, si cum vitio conferas, quám si solam illam consideres; ut hæc causa sit, cur antitheses in orationibus aliisque scriptis adeó sint gratæ, & rem, quæ disputatur, illustrent.

DISSENTANEA suæ dissensionis ratione, ut con-

sentanea consensionis, duplicia sunt: Aliorum enim simplicissima est dissenſio, utpote quæ sola ratione & tractatione dissentiant, ita ut licet simul non sint, esse tamen possint; & diversa dicuntur. Alia verò & ratione & re, id est, natura & essentia sua dissentiant, quæ simul nec sunt, nec esse possunt; ut *Opposita*.

Dua itaque dissentaneorum species fuerint: Diversa & Opposita.

DIVERSA sunt dissentanea, qua sola ratione dissentiant. quæ dissenſio, ut diximus, levissima est; non enim infestâ & insitâ naturâ, sed tantum ratione aliquis personæ vel rei incidentis dissentiant & pugnant; quapropter quamvis simul non sint, esse tamen possunt: ut, Forma & facundia ratione Ulyſſis, in quo simul non sunt, dissentanea; ratione autem Demosthenis vel Periclis (fuerunt enim illi disertis & formosi) dissentiant minimè. ut hinc distinctio tantum & discriminatio quædam, non autem syllogistica conclusio requiratur, & diversa nunquam in syllogismum, sed tantum in axiomata ingrediantur discreta. Intellige interim duas hinc observandas esse notas argumentorum diversorum indices, non hoc sed illud, quanquam tamen.

Diversa.

Victoriam reportare.

Formosum esse.

Media morte teneri.

Dives.

Ratione

Luculli.

Ulyſſis.

Priami,

Ennii.

Victoria insignia reportare.

Facundum esse.

Tacere.

Fide dignus.

Hinc axiomata è diversorum compositione connectioneque:

Non victoriam, sed victoria insignia Lucullus reportavit.

Non formosus erat, sed erat facundus Ulyſſes.

Hic Priamus quanquam media jam morte tenebatur, non tamen abstinuit.

Quar-

Quamquam Ennius non fuit dives, fidei tamen fuit plenus.

Porro quia, uti diximus, diversa tantum sunt axiomata, dubias quaestiones non disputant: quapropter ad Opposita alteram dissentaneorum speciem pergamus.

OPPOSITA sunt dissentanea, quae ratione & re dissentiunt. quapropter duplicem hinc disensionis affectionem intelligimus, cum diversorum tantum sit unica & simplex. Prima disensio est rationis, altera vero rei, id est, naturae & essentiae. Ut oppositorum natura sit, nunquam convenire, sed perpetuo pugnare & dissentire. Consequens itaque fuerit, nunquam illa eidem attribui posse secundum idem, id est, eidem ejusdem rei parti; deinde ad idem, id est, ejusdem respectu & relatione; denique eodem tempore, alioquin opposita non esse: ut, *nemo eadem parte corporis fuerit calidus & frigidus, ejusdem hominis dominus & servus, eodem tempore sanus & ager.* Itaque si alterum affirmes, alterum velis nolis negaveris: ut, *si niger est Aethiops, nunquam eadem parte fuerit candidus. Si Plato discipulus est Socratis, nunquam ejusdem respectu fuerit magister. Si nunc est sanus, non est ager.* Et haec quidem haecenus de communi oppositorum natura: Sequitur deinceps eorundem *διχοτομία*, ex multorum oppositione levior & binorum infestior desumpta.

Sunt itaque Opposita Disparata aut Contraria.

DISPARATA sunt opposita, quorum unum non magis opponitur uni, quam multis aliis, cum quibus consentire non potest; vel quae aequaliter opponuntur multis, ut quam disensionis litem cum hoc, eandem etiam cum aliis multis exercent. ut ita incerto ductu opponi intelligantur. Ubi observandum axioma: *Media inter duo contraria extrema interjecta, inter se esse disparata, & ad extrema ipsa relata: ut, viride, cineraceum, rubrum, media sunt inter album & nigrum, & singula extremis & inter se disparata sunt.*

Disparata.

*Homo.**Dea.**Domus mercatus.**Domus supplicationis.**Rus.**Forum.**Cometa.**Stella.*

Hinc axiomata, sed omnia negata; cum enim non consentiunt, affirmari non possunt: ut,

*Homo non est dea.**Domus supplicationis, non est domus mercatus.**Rus non est forum.**Cometa non est stella.*

Hinc etiam quaestiones disputantur, sed tantum negata,

Quaestio.

Argumentum á disparatis.

*Estne Spartana venatrix homo?**Non est, quia dea.**Estne templum domus mercatus?**Non, quia domus supplicationis.**Estne Ctesiphon ruri?**Non, quia est in foro.**Estne halitus in aëre accensus stella?**Non, quia cometa.*

Ea enim est rerum natura, ut tantum unum aliquod (hoc axiomatis loco usurpemus) de re dici possit. Quapropter cum aliquid de ea affirmaveris, reliqua omnia, quæ ab eo in eodem genere differunt, negabuntur, ut recte inquit Rodolphus ille Agricola lib. 1. de Inventione cap. 27. Observa interim contra, non procedere, id est, negato uno reliqua affirmari.

CONTRARIA supersunt, quorum unum uni tantum opponitur; ut omnis eorum dissensio non inter multa, ut in disparatis, sed duo tantum versetur. Estque infestissima oppositarum rerum pugna, qua altera abhorret ab altera, pariterque se dispellunt.

Dividuntur in *affirmantia* & *negantia*.

Affirmantia sunt, quorum utrunq; affirmat; id est, significat rei subjectæ affectionem ejusmodi, quæ revera aliquid

aliquid sit & significet; & propterea etiam symbolo affirmato exprimitur. Est autem symbolum affirmatum vocabulum, quo natura & qualitas affectioq; rei affirmatæ exprimitur; ut *virtus & vitium* contraria sunt affirmantia; nam utrunq; est animi affectio, quorum alterum inclinatur ut obtemperemus rectæ rationi; alterum verò ut rationis imperium excutiamus. Sic *pater & filius* itidem affirmantia contraria sunt; utrunq; enim affectionem quæ sit revera aliquid significat.

Affirmantia porro sunt duplicia, RELATA scilicet & ADVERSA. Quæ quidem distributio ex ipsa specierum contrarietate & hostili pugna desumitur, cum alia ita sint affecta, ut essentiã mutuò largiãtur, & quasi essentiæ sint causæ, cujusmodi sunt Relata. Nam ut dicatur Parmeno servus, hoc habet à domino Phædria, & vicissim Phædria ut dicatur dominus, habet à Parmenone. Similiter Martia à Catone ut sit uxor, & vicissim, Cato à Martia quod sit maritus. Alia verò non modò nō largiuntur, sed eam ipsam quam habent essentiã, auferunt invicem & prorsus extinguunt, ut in adversis: ut, frigidum pellit calidum, calidum vicissim frigidum. Sic caro, ut est in sacris, adversatur spiritui, spiritus vicissim ipsi carni. In relatis unum requirit alterum, sunt enim mutuæ naturæ: ut, pater, dominus, maritus, requirit filium, servum, uxorem. In adversis verò non solùm unum non requirit alterum, sed ne patitur quidem; sunt enim perpetuò sibi in vicem adversantia è regione, naturæque pellentis & extinguentis.

RELATA itaque definiuntur ex genere & forma, contraria affirmantia, quorum alterum constat è mutua alterius affectione; ut in his consensio & dissensio similiter esse reperiantur: consensio quidem, quatenus alterum alteri est causa essentiæ, & alterum alteri originem suam acceptam refert, unde & Relata dicuntur: ut, *pater à filio suam accipit essentiã*. nisi enim filium habeat, pater non fuerit. & vicissim à patre filius hoc ipsum quod est, habet, nisi enim habuerit patrem, non est filius. Dissensio verò, quatenus nec alterum de altero, nec utrunque de eodem merito dici possit: pater enim non est filius, nec vicissim, n

filius est pater, scilicet ejusdem. Ex illa porro consensione & mutua relationis causa consuetarium existit: *Relata naturâ & tempore esse simul*, adeo ut simul orientur & intereant. At objecerit quispiam: Si adolescens mulier ut Martia, nubat seni ut Catoni, relata non videri simul existere, cum illa sit adolescens, hic vero sit senex: Cui occurritur, personas quidem ipsas tempore esse inæquales & impares, verum non relatas illas personarum affectiones. Non enim Cato ante maritus fuit quam Martiam duxisset, quamvis diutius homo fuerat; nec Martia uxor quam ubi nupsisset Catoni. Et alterum consuetarium scilicet existit: *Qui relatorum unum perfectè norit, is norit & reliquũ.* causa latet in mutua illa essentiæ relatione. Si enim quis norit quod pater sit qui habet filium, noverit idem quod filius sit qui habet patrem. Qui novit quod subjectum sit cui aliquid adjungitur, noverit idem quod sit adjunctum cui aliquid subjicitur.

Relata.

Dare.

Accipere.

Vendere.

Mercari.

Locare.

Conducere.

Docere.

Discere.

Pater.

Filius.

Dominus.

Servus.

Vitricus.

Privignus.

Hinc axiomata é binis relatis: *Si in accepto beneficio est gloria, in dato sané laus fuerit.*

Si portorium locare honestum est, etiam conducere fuerit honestum.

Non est turpe docere alios quod honestum tibi fuit discere.

Si pater est dominus, filius est servus.

Hinc etiam quæstiones dubiæ disputantur:

Quæstio.

Argumentum á relato.

Accipere beneficia non est turpe.

Quia dare est honestum.

Hermacreonti portorium conducere honestum est.

Quia Rhodiis honestum fuit locare.

Non

Non est turpe Ciceroni docere eloquentiam.

Quia honestum fuit illi discere.

Filius est servus.

Quia pater est dominus.

Ubi axioma: Si relatorum est unum, etiam esse alterum, sed in diversis subjectis; sin minus, non esse, quia mutua sunt essentia & causa: ut, Si David est pater Solomonis, Solomon Davidis fuerit filius; sin minus, non fuerit. &: Si relatorum sit unum, non esse alterum in eodem subjecto respectu ejusdem: ut, Si David Solomonis est pater, non fuerit ejusdem filius.

Altera affirmantium contrariorum species est in Adversis, quæ ut adversè relatis opponuntur, ita etiam adversè definiuntur.

Definiuntur autem ADVERSA è genere & forma, contraria affirmantia, quæ inter se velut è regione perpetuò adversantur. Nam ex diametro infestissimo odio opponuntur & sibi invicem adversantur: alterum enim ab altero æqualiter naturali odio abhorret, & naturali discordia dissidet; contra quàm in relatis, ubi alterum naturali amicitia fertur ad alterum, & gratam fovent concordiam.

Adversa.

Respublica	Res privata.
Bellum.	Pax.
Pecus.	Homo.
Virtus.	Vitium.
Sapientia.	Stultitia.
Res secunda.	Res adversa.
Libertas.	Servitus.
Consilium.	Casus.

Hinc axiomatica è binis adversis.

Causa reipublicæ abesse non dicitur, qui ob privatam rem in legatione est: l. non videtur. & l. reipub. causa. §. liberorum. ff. ex quibus caus. mai.

Si malorum causa bellum, erit emendatio pax.

Si voluptas est pecudis bonum, non est hominis.

Virtus est vitium fugere, & sapientia prima,

Stultitiâ caruisse.

*Quem res plus nimio delecta vere secunda,
Mutata quatient.*

Hinc & syllogismi é quæstione dubia, & tertio argu-
mento aduerso.

Quæstio.	Argumentum aduersum.
<i>Pax est optanda.</i>	<i>Nulla enim salus bello.</i>
<i>Voluptas non est hominis bo- num.</i>	<i>Quia est pecudis.</i>
<i>Sapiens est & virtutis stu- diosus.</i>	<i>Quia stultitia caret & viti- um fugit.</i>
<i>Cicero aduersam fortunam immoderatè tulit.</i>	<i>Quia in prosperis animo fuit elatiore.</i>

Ubi axioma: Si aduersorum, inter qua nihil est medium
interiectum, unum tollitur, alterum necessariò ponitur: ut, sa-
piens est, stultitia enim caret, cum inter sapientiam & stul-
titiã medium sit nihil. Inter qua verò interiectum est me-
dium, sublato uno, alterum necessariò poni non potest: ut, hac
tabula non est nigra, igitur candida. non sequitur; potest e-
nim esse coloris alicujus medii, rubri, puniceï. Intellige
itaque quædam aduersa habere medium: ut, inter calorem
& frigus est tepor: quædam verò nullum habere: ut, vir-
tus, vitium.

Et hætenus quidem de affirmantibus; sequuntur de-
inceps negantia, quæ definiuntur contraria, quorum alte-
rum ait, alterum negat idem; ut ita duplicem hîc affectio-
nem intelligamus, affirmationem & negationem. Af-
firmatione significatur natura qualitasve, quæ revera ali-
quid est, aut in subjecto inhæret: ut, *virtus* significat ha-
bitum bonum inclinantem ad honestas actiones. Sic *vita*
significat vim illam & energiam vivendi in anima. Ne-
gatio verò significat rei prius affirmatæ negationem pri-
uationemve: ut, *non virtus* negatio est, qua alia res quævis
significatur quæ scilicet non sit virtus. Sic *mors vitæ* &
vivendi facultatis interitum & extinctionem significat.
Dicuntur itaq; contraria negantia per synecdochen par-
tis: vocabulum enim parti proprium amplificatur, ut to-
tam hanc contrarietatis speciem complectatur. altera e-
nim tantum negat, altera verò affirmat. *Species autem*
Contrario-

Contrariorum negantium sunt: Contradicentia & Privantia.

CONTRADICENTIA é genere & forma definiuntur *contraria negantia*, quorum alterum negat ubiq;. Quia negatio per negandi adverbium expressa híc est, Ciceroni duobus vocabulis dicuntur nunc *ajentia & negantia*, nunc *affirmatio & negatio*: appellat etiam *disparata* alicubi, quód unum scilicet disparetur ab altero per oppositionem negationis, vulgó *Contradictoria*. Negare veró ubique, est ita negare, ut nulla certi naturalisq; subjecti ratio habeatur; sed negatio extendat se ad omnia illa quæ non sunt; illud quod erat affirmatum: ut, *non virtus* ubiq; negat; negat enim virtutis essentiam inesse in re qualibet quæ non sit virtus. *Non justitia* negat justitiæ essentiam inesse in re qualibet quæ non sit justitia.

Contradicentia.

<i>Esse.</i>	<i>Non esse.</i>
<i>Bella puella dives.</i>	<i>Non bella puella dives.</i>
<i>Christum diligere.</i>	<i>Christum non diligere.</i>
<i>Dei verba audire.</i>	<i>Dei verba non audire.</i>

Hinc axiomata é binis contradicentibus composita: ut,

Si mortui sunt miseri, mortui non possunt non esse.

Si Fabulla est bella puella, dives non potest esse; non bella puella dives.

Si Christum diligit qui precepta ejus observat, non diligit qui non observat.

Si ex Deo est qui verba Dei audit, ex Deo non fuerit qui non audit.

Magna vis est hujus argumenti, cum quis coarguatur sive cogatur sibi contradicere; ita enim imminuitur ejus auctoritas & testimonium. ut Cicero Atticum Epicureum cogit 1. Tuscul. cum mortuos esse negaret, & tamen esse diceret: *Jam mallet, inquit Cicero, Cerberum metueres quam ista tam inconsiderate diceres.* Atticus: *Quid tandem?* Cicero: *Quem esse negas, eundem esse dicis?*

ubi est acumen tuum? cum enim miserum esse dicis, tuum qui non sit, esse dicis. Tum post longam disputationem Atticus ait: Age jam concedo non esse miseros, qui mortui sunt, quoniam extorsisti ut faterer, qui omnino non sunt, eos ne miseros quidem esse. Magna quoque vis inest ad elevandum & imminuendum alicujus testimonium aut auctoritatem: Sic Terentianus ille Phædria elevat Dori testimonium, quod ipse sibi contradicat propter sermonis inconstantiam, quo modo ait, modo negat.

Ad extremum e contrariis PRIVANTIA supersunt, quæ e genere & forma definita sunt *contraria negantia*, quorum alterum negat in eo tantum subjecto in quo affirmatum suapte natura inest. Angustior itaque quam in contradicentibus negatio intelligitur, negatur enim tantum præsentia naturalis habitus in naturali subjecto; cum ibi negatio ad omnia se extendat, quæ id non sunt quod erat affirmatum: ut *loqui, tacere*; *loqui* affirmat loquendi habitum in homine qui a Deo oratione est instructus & loquendi facultate ornatus: *tacere* verò ejusdem facultatis in homine, in quo naturaliter inest, privationem & absentiam. Ut hinc facile discrimen intelligatur inter Adversa & Privantia, quo scilicet hinc alterum sit naturale, ibi verò utrunque, sed in diversis subjectis: ut, candor naturalis est cygno, nigror verò corvo. Sed subjectum cui privantium alterum naturale sit, reperiri nullum potest: ut, cæcitas cui sit naturalis nihil est; similiter surditas, mors; imò contra naturam & cum alterius interitu accedunt. Illud quod affirmat, dicitur *habitus*, quod verò negat, *privatio*. *Habitus* rei naturalis adeptio & præsentia est in naturali subjecto, quam scilicet tanquam ornamentum natura adesse voluit. Sic *aspectus, auditus, vita*, tanquam ornamenta sunt in oculo, aure, anima. *Privatio* verò, habitus ejusdem ab eodem subjecto absentia, amissio & extinctio, quem natura tamen abesse noluit: ut, *cacitas, surditas, mors*, in oculo, aure, anima.

Dicuntur autem PRIVANTIA a contrarietatis parte altera, id est habitus privatione. Unde & hinc synecdochen speciei esse intelligimus, quod species scilicet toti generi

ti generi hujus contrarietatis nomen largiatur, & speciale vocabulum ad generalem intelligentiam amplificetur.

Privantia.

Habitus.

Vita.

Patria.

Dives.

Videre.

Privatio.

Mors.

Exilium.

Pauper.

Cacum esse.

Hinc axiomata ex habitu & privatione dispositis.

Vivens Christo, mortuus est mundo.

In exilium actus, non degit in patria.

Si pauper est inglorius, dives est gloriosus.

Cum nihil cacitate tristius, nihil erit aspectu jucundius.

Hinc & syllogismi e quaestione & habitu disputante:

Quaestio.

Habitus.

Paulus mortuus est mundo.

Vivit enim Christo.

Cicero in exilium non abuit, etiam Romam a Clodianis ejectus.

Patria enim fortis vivi est ubique.

Cacitate nihil tristius excogitari potest.

Cum visus optimum sit hominis ornamentum.

Pauperes despiciuntur.

Divites enim soli honorantur.

Et vicissim ex quaestione & privatione illam disputante:

Quaestio.

Privatio.

Paulus vivit Christo.

Mortuus enim est mundo.

Omne solum forti patria est.

Quia nullum illi exilium intendi potest.

Visus maxime hominem ornat.

Cacitas enim maxime illum dedecorat.

Ubi axioma: Privantium unum interitum esse alteri-

ut: *Si Appius Claudius est cecus, non videt; sin minus, videt.*

Et haftenus de primo genere *argumentorum simplicium*; ubi res duæ simpliciter & absolutè consentientes dissentientesq; extra comparationem considerantur.

Sequuntur deinceps *argumenta comparata* itidem prima & suæ originis, ut simplicia. Nam arguendi vis & principium á priori non dependet aut oritur, verum nativam habent & propriam quandam inter se affectionem minimè aliunde acceptam. Quod rotundius syllogismo disputatur:

Argumentum á primis ortum arguit ut primum illud unde est ortum.

Sed argumenta comparata non arguunt, ut prima. cum hic sit comparata rerum affectio, ibi verò simplex & absoluta.


Non igitur argumenta sunt á primis orta.

Definiuntur autem *Comparata argumenta prima* quæ inter se comparantur, id est, in quantitate vel qualitate conferuntur; unde quantæ vel quales, id est, pares vel impares, similes vel dissimiles res dicuntur. Proprietates autem & quasi privilegia comparatorum propria sunt tria. Primum est in rerum comparatarum æquali notitia: alterum in notis & signis, quæ comparationis sunt indicia: tertium in fictæ comparationis energia, quæ ut vera fidem facit. Sed pleniùs hæc explicemus. Primum comparata ipsâ comparationis naturâ æqualem notitiam habent, non quidem ex rerum comparatarum natura, verum é ratione comparationis in qua conferuntur: ut, *Si Creusa umbram conferas cum vento in levitate, Creusa & venti par & æqualis fuerit notitia, non quidem ex Creusa & venti natura, verum é levitatis ratione in qua conferuntur, quæ utrobique est æqualis.* Deinde nonnunquam notis quibusdam contrahuntur & brevius partibusque involutis & implicitis tractantur: quæ *comparatio implicita & involuta* appellatur, utpote, ubi partes non sunt distinctæ, sed confusæ. Nonnunquam verò distinctiùs & explicatiùs proponuntur. Ibi enunciato unico tota comparatio enunciatur; hic verò duobus. quorum illud quod antecedit, quodque arguit, *propositio*, quod verò consequitur quodque

quodque arguitur, *redditio* dicitur. Denique non minorem arguendi vim obtinent ficta comparata, ut fabulæ & apologi, quam vera; non quidem rerum ipsarum naturâ, sed vi & energiâ comparationis, cum alioquin extra comparationem mendacii speciem habeant.

Et hæc quidem de generalibus & communibus comparatorum privilegiis & affectionibus; sequuntur deinceps species hæc *διχοτομία* comprehensæ: *Comparatio est in quantitate aut qualitate*. Sed utraq; Logicè non autem Mathematicè aut Physicè intelligatur. *Est autem quantitas logica, qua res quælibet in qualibet re, Ente & non Ente, non autem numero tantum & magnitudine comparata, dicuntur quanta, id est tantæ & pares, vel non tantæ & impares. Qualitas verò logica est, qua res quælibet in qualibet re, Ente & non Ente, non tantum qualitate physica comparata, dicuntur quales, id est similes vel dissimiles. Sed de mathematica quantitate in Mathesi, de physica verò qualitate in Physicis.*

*PARIA dicuntur comparata in quantitate, quorum quantitas est eadem: id est, Paria sunt illa, quibus quantitas, in qua conferuntur, neque intensior neq; remissior est, sed æqualis; ut quanta sit in uno, tanta quoque sit in altero, & quantum est hoc, tantum etiam dicatur illud: ut, esto stultus cum luna conferendus in inconstantia quantitate; si ea tanta est in stulto quanta in luna, argumenta fuerint paria. Exempla deinceps proponuntur tribus illis privilegiis accommodata. Primum privilegium per totam Parium doctrinam est diffusum; Paria scilicet comparationis vi æquæ esse nota, ipsius scilicet energiâ. Alterum est, in contractione & explicatione, item in notis & signis, ut sunt *par, æquale, æquare, idem quod, tam quam, tanto quanto, tot quot, non magis non minus*. Tertium denique est par energia arguendi in veris & fictis comparatis. Sed vera præcedunt, ficta consequuntur.*



Paria.

Quantitas.

<i>Umbra Creusa.</i>	<i>Levitas.</i>	<i>Ventus.</i>
<i>Astyanax.</i>	<i>Ætas.</i>	<i>Ascanius.</i>
<i>Imperium Romanum.</i>	<i>Amplitudo.</i>	<i>Terrarum orbis.</i>
<i>Petrus.</i>	<i>Apostolatus.</i>	<i>Paulus.</i>
<i>Nos.</i>	<i>Clementia.</i>	<i>Deus.</i>

Hinc axiomata vera é Paribus disposita. Et primum quidem simplicia notis quibusdam, brevius cōtracta: ut, *Umbra Creusæ par levibus ventis. Astyanax aequali cum Ascanio pubescit ævo. Apostolatus Petri æquat se Apostolatus Pauli.*

Deinde á paribus distinctis & explicatis; quæ cūm duplicia sint, non nisi composité enunciant: ut,

Fama est

Tam ficti praviq; tenax quàm nuncia veri.

Non minor est virtus, quàm querere, parca tueri.

Catullus tantó pessimus est omnium poëta, quantó Cicero optimus omnium patronus.

Sulpitius tantus fuit jurisconsultus quantus consultus justitiæ.

Tum axiomata sine notis; ubi tamen paria intelliguntur facile ex ipsa definitione: ut,

Si Antiocho é nova in veterem; & Ciceroni licebit é veteri in novam migrare academiam.

Cæsaris & Antonii facinus est commune, cur non & eorum prada?

Quando Demea non curat Mitionis filium, Mitione curret Demea?

Si Petro licuit gentibus annunciare Evangelium, cur non & Paulo?

Sic bis bina contraria tractari solent, bina enim contraria eandem feré habent rationem ad alia bina. Contraria enim contrariorum sunt consequentia: ut,

Si pater est dominus, filius est servus.

Si licet inimico accusare, licebit & amico defendere.

Cum

Cum pauper despiciatur, dives honorabitur.

Si vitia ad miseram vitam, virtus ad beatam suffecerit.

Paria quoque fuerint illa, cum provocati & laceffiti par pari referimus & reponimus. Vulgus regeffionem vocat: ut Martialis:

Sæpe rogare soles, qualis sim Prisce futurus,

Si fiam locuples simq; repente dives:

Quenquam posse putas mores narrare futuros?

Dic mihi si fias tu leo, qualis eris?

Sic Christus Lucæ 20. interrogatibus Pharisæis cuius auctoritate euentes & vendentes e templo eiceret, & quis esset qui dedisset ei istam auctoritatem; reponit: *interrogabo vos & ego rem quandam. dicite igitur mihi, baptismus Johannis e celo erat, an ex hominibus? Et aliquanto post responderunt: se nescire unde esset. Tum Jesus: neque ego dicam vobis, qua auctoritate hæc faciam.*

Similiter & pastores illi Virgiliani 3. Ecloga:

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,

Tres pateat cali spacium non amplius ulnas.

Reponit alter:

Dic quibus in terris inscripti nomina regum

Nascantur flores; & Phyllida solus habeto.

Deniq; eandem vim obtinent etiam ficta argumenta, quam vera de sententia tertii privilegii: ut,

Tam deridentur qui grandia professi, vilia & parva præstant, quam montes parturientes edito mure.

Non magis sapiunt qui divitias bonis artibus præferunt, quam Gallus ille Æsopicus, inventa gemma granum hordeæ præponens. Sic apud Ciceronem in Inventione: Si Xenophontis uxor malit aurum, vestem & cæterum ornamentum muliebri majoris pretii, mavult etiam vicina sua virum meliorem. Si Xenophon malit equum & fundum vicini sui meliorem quam suum, mavult etiam uxorem.

Ad extremum, Syllogismi e paribus & dubia quaestione fiunt.

Quæstio.	Argumentum par.
<i>Licétne Paulo vivere ex prædicatione Evangelii, & circumducere sororem?</i>	<i>Licet, quia cæteris Apostolis licuit.</i>
<i>Licétne Ciceroni amicum defendere?</i>	<i>Maximé, conceditur enim Muræna inimicum accusare.</i>
<i>Licétne Ciceroni relicta veteri Academia, novorum instituta sequi?</i>	<i>Plané, Antiocho enim potestas fuit é nova commigrandi in veterem.</i>
<i>Romanum imperium omnes subegit provincias & regna.</i>	<i>Terrarum enim orbi fuit æquale.</i>

Ubi axioma: *Quod in re pari valet, valeat in hac que par est; & quod in illa non valet, nec in hac valeat: ut, Si turpis est domina consuetudo cum servo; & turpis erit domini cum ancilla. Et, Paulo non licet gloriari nisi in cruce domini; igitur nec cæteris.*

IMPARIA sequuntur, quæ ut paribus contrarié opponuntur, ita contrarié quoq; definiuntur.

IMPARIA itaque sunt, quorum quantitas non est una, id est, Imparia sunt illa, in quibus quantitas in qua conferuntur, non est eadem, sed in altero submissior, in altero veró elatior est & inæqualis, nec tanta in uno, quanta in altero: ut, si solem conferas cum luna in luce, imparia fuerint: lucis enim quantitas in sole est elatior, in luna veró submissior. Unde duas Imparium species deprehendimus: Aliud enim est Majus, aliud veró Minus.

MAJUS est, cujus quantitas excedit & vincit, id est, intentior & elatior est quàm in minore. MINUS veró, cujus quantitas exceditur & vincitur, id est, remissior & inferior est quàm in majore. Majus arguere Minus intelligimus, si hujusmodi appositæ sunt notæ: Non solúm, sed etiam; malo hoc quàm illud: plus quàm; item comparatio Grammatica: A Minore vero argui, cum hujusmodi additæ sunt notæ: non solúm, sed ne; potius hoc quàm illud, cum tum, item Grammatica comparatio, denique negatio parium; illis enim negatis minus intelligitur.

Scd

Sed IMPARIUM doctrinam quia conjuncta sunt & mutuó se arguunt, conjunctim explicabimus, ita quidem, ut tria illa privilegia similiter ut in Paribus intelligantur.

Imparia.

Quantitas.

Majus.		Minus.
<i>Anima.</i>	<i>Præstantia.</i>	<i>Corpus.</i>
<i>Servius.</i>	<i>Scientia juris.</i>	<i>Jurisconsulti Romani.</i>
<i>Homo.</i>	<i>Ali & vestiri.</i>	<i>Volucres aëria, lilia agri.</i>
<i>Satrapes.</i>	<i>Alere Bacchidem.</i>	<i>Menedemus.</i>
<i>Jupiter.</i>	<i>Tenere velificationem.</i>	<i>Palinurus.</i>

Hinc axiomata é majori & minori disposita; & primúm quidem vera & cum notis:

Anima est præstantior corpore.

Plus scientia juris est in Servio Sulpitio quàm in omnibus Romanis Jurisconsultis.

Non solum verbosa simulatio prudentia, sed etiam illa domina rerum sapientia é medio tollitur.

Sævior es tristi Busiride sævior illo

Qui falsum lento torruit igne bovem.

Tum axiomata absque inæqualitatis notis; ubi tamen Imparia intelliguntur ex definitione: ut,

Si volucra celi aluntur, si lilia agri vestiuntur, hominem sané sui imaginem Deus vestiet & alet.

Si faciunt hoc, inquit Christus Luca 23. in ligno virente, in arido quid fiet?

Si Sulpitius etiam inimicis consulit, Cicero sané medietatem suam operam præstabit etiam amicis.

Si saxa & solitudines voci respondent, si bestia cantu fleantur, sané nos poëtarum vocibus movebimur.

d ij

Similiter ficta in Imparibus verorum vim obtinent, non secus atque si vera essent de sententia tertii privilegii: ut,

Jupiter velificationem tam procelloso mari tenere non posset, nedum Palinurus.

Cum Paris OEnone poterit spirare relicta,

Ad fontes Xanthi versa recurret aqua.

Satrapes Thaidem sumtuosam alere non posset, nedum Menedemus.

Ante leves ergo pascentur in aethere cervi, &c.

Quam nostro illius labatur pectore vultus.

Hinc & Syllogismi ad extremum existunt e quaestione scilicet dubia & argumento majore illam disputante.

Quaestio.

Argumentum majus.

Menedemus Thaidem sumtuosam alere domi non potest.

Satrapes enim si sit amator, nunquam sufferre ejus sumtus queat.

Rom. 10. Deus gentibus ad fidem vocatis peccantibus non parcat.

Naturalibus enim ramis non pepercit.

Palinurus velificationem tenere non potest.

Cum ne Jupiter quidem id possit.

Ioan. 13. Apostoli alii aliorum pedes lavent.

Christus enim qui fuit magister & dominus, eorum pedes lavit.

Aut e dubia quaestione & minore argumento illam disputante.

Quaestio.

Argumentum minus.

Deus homini de victu & cultu prospiciet.

Alit enim volucres aërias & lilia agri vestit.

Nos rebus optimis instituti, poetarum voce delectabimur.

Cum saxa & solitudines voci respondeant, & bestia moveantur.

Scelus est verberare civem Romanum.

Facinus enim est vincire.

Nunquam Virgilius Augusti obliviscetur.

Prius enim cervi pascentur in aëre.

Ubi

Ubi axioma: *Si quid in re majore valeat, etiam valere in minore.* Sic Christus Apostolos solatur: *Si mundus me recepisset, & vos reciperet.* & alibi: *Si patrem familiam vocarunt Beelzebulem, certè & domesticos.* Et vicissim: *Si quid in re minori valeat, etiam valere in majore.* Sic Paulus 1. Corinth. 5. *Si tale stuprum (intellige incestum) apud extraneos non auditur, nec apud Christianos audiri debuit.*

ADhuc comparatio in *Quantitate* fuit: sequitur comparatio in *Qualitate.* Est autem *qualitatis comparatio, qua res comparata quales dicuntur, id est, eodem modo affectæ vel non affectæ ad rem eandem: ut, Si gloriam hominis cum flore agri conferas, vel cum bulla aut umbra in fragilitate, similes fuerint.* similiter enim ad eam sunt affectæ: *Si hominem cum bestia in ratione, fuerint dissimiles.* non enim ut homo: sic quoque bestia rationalis est. Sed interim memineris, *qualitatis nomine non physicam illam energiam intelligi, quâ tanquam instrumento naturaliter illæ agunt; sed communem illam, generalem & universalem affectionem, qua quidvis tale vel non tale, simile vel dissimile nominatur.*

Comparatorum porrò in *qualitate* alia sunt *similia,* alia verò *dissimilia.*

SIMILIA *qualitate* conveniunt; est enim *similis* eorum affectio & *qualitatis* communis consensus. *Qualitas* ipsa *similis* sive *similitudo* alio nomine *proportio,* græcis *analogia;* *Similia* verò *proportionalia* & græcis *analogia* appellantur. *Similibus* ut aliis comparatis sunt notæ: ex quibus aliæ contractis, ut sunt: *Similis, effigies, more, instar, tanquam, sicuti, item, haud secus, non aliter.* Nam hujusmodi *dissimilitudinis* negationes *similitudinem* innuunt: Aliæ verò *explicatis* serviunt: ut, *tale quale, quemadmodum sic, ut sic.* Sed *similium* doctrina exemplis deinceps

illustratur.

Similia.

Qualitas.

Deus.	Corporis figura.	Æneas.
Confisus Deo.	Immobilitas.	Mons Sion.
Pius.	Viror.	Palma in ripa.
Homo.	Fragilitas.	Bulla, umbra.
Stultus.	Mutabilitas.	Luna.
Formica.	Providentia.	Sapiens.
Impius.	Disipatio.	Gluma.

Hinc axiomata uno verbo conclusa sive simplicia & quidem vera:

Æneas os humerosq; Deo similis est.

Mons Sion effigies est hominis Deo confidentis.

Pius instar palma virescit.

Homo instar bulla est umbra fragilis est.

Stultus tanquam luna mutatur.

Sapiens sicuti formica futuri providens est.

Impius non secus ac gluma dissipatur.

Sequuntur deinceps *Similia explicata*; & quidem *disjuncte* aut *conjuncte*.

Similitudo disjuncte explicata revera terminos habet quatuor distinctos & disjunctos, in qua ut prior terminus ad secundum, sic tertius ad quartum & reciprocè & alternè, cujusmodi sunt:

Similia.

Aurum.	Ignis.	Fortuna.	Fides.
Auditor.	Carmen.	Sopor.	Fessi.
Luna.	Sol.	Christus.	Ecclesia.
Gubernator.	Tempesta.	Fortuna.	Sapiens.

Hinc axiomata composita aliquando cum notis: ut, Scilicet ut *fulvum spectatur in ignibus aurum:*

Tempore sic duro est inspicienda fides.

Tale tuum carmen nobis divine poëta,

Quale sopor fessis in gramine.

Quemad-

Quemadmodum luna non nisi á sole illustrata lucet: Sic Ecclesia salus, non nisi á Christo aternâ luce profluit.

Quemadmodum gubernatores optimi vim tempestatis: Sic sapientissimi viri fortuna impetum persape superare non possunt.

Similitudo continué explicata terminos tantúm habet tres; in quibus ut primus ad secundum, sic secundus ad tertium: ut magistratibus leges; ita magistratus presunt populo.

Sequuntur deinceps Ficta, quæ parem cum veris arguendi vim habent, cum extra comparationem pro mendaciis habeantur; ubi apologi, fabulæ & parabolæ maxime excellunt: ut, Quemadmodum bestia ad leonis antrum descendentes, in periculum vitæ veniebant: sic sapientes jacturam sapientie faciunt, si vulgi judicia sequantur. Ut equus cum cervo congressus, eoq; pugna inferior invocato hominis auxilio, ei parere coactus est: sic libera saepe civitates & gentes inter se digladiantes, sunt vectigales, advocato externo auxilio.

Hinc denique & syllogismi fiunt é quæstione & argumento simili disputante.

Quæstio.

Argumentum á simili.

Anima hominis est immortalis.

Quia imago Dei.

Ars natura solertiam exprimit.

Est enim ejus effigies.

Pio semper bene erit.

Quia instar palma florescit, & sicut cedrus in libano multiplicabitur.

Libidinosi, avari & facinorosi, vera laudis gustum non habent.

Quia sunt eorum similes qui morbo aut sensus stupore suavitatem cibi non sentiunt.

Ubi axioma: Similium similem esse rationem: ut, Quæ ratio est gubernatoris ad navem, eadem est magistratus ad rempub. Quam habet rationem aspectus ad oculum, eam quoq; mens habet ad animum.

DISSIMILIA deinceps Similibus adversa sequuntur, quorum qualitas est diversa. Nam cum uno convenit,

cum altero non item, id est, quæ affectione aliqua vel proprietate, vel alia re quavis inter se discrepant, sive ea sit insita, sive externa. Quapropter *differentia* ut vocant, *divisiva* & pleræque distinctiones hujus sunt generis. Ne interim opineris, Diversa à dissimilibus nihil differre; cum in diversis duarum rerum absoluta sine comparatione discordia & dissensio, hic verò binarum rerum in qualitate collatarum comparatio spectetur. Huc accedit, quòd diversorum alterum negationem significet, dissimilium verò neutrum; sed tantum dissimilis duorum comparatorum affectio significatur. Dissimilitudini etiam, ut cæteris comparatis, suæ sunt notæ; ut sunt, *dissimile*, *dispar*, *differens*, *discrepans*, *aliud*, *secus*; & Similium notæ negatæ: ut, *non talis*, *non similis*, *non idem*, *non ut*, *non tanquam*. ex his enim dissimilitudinem intelligimus.

Dissemblia.

<i>Sapiens.</i>	<i>Mutabilitas.</i>	<i>Luna.</i>
<i>Bonus pastor.</i>	<i>Ovium cura.</i>	<i>Mercenarius.</i>
<i>Descensus averni.</i>	<i>Facilitas.</i>	<i>Ascensus ab averno.</i>
<i>Abrahamus.</i>	<i>Christum interficere.</i>	<i>Judæi.</i>
<i>Pyrrhus.</i>	<i>Animus adversum hostem.</i>	<i>Achilles.</i>

Hinc axiomata è binis dissimilibus disposita; aliquando cum notis: ut,

Lunæ instabilitas dispar est sapientis constantiæ.

Bonus pastor dissimiliter mercenario curat oves.

Non ut vos queritis me interficere, sic quoq; Abraham.

At non ille, satum quo te mentiris, Achilles

Talis in hoste fuit Priamo.

Aliquando sine notis; & tum dissimilitudo pleniùs explicatur.

facilis descensus averni:

Sed revocare gradum superasq; evadere ad auras,

Hic labor, hoc opus est.

Brutus liberos molientes prodicionem occidit.

Manlius

Manlius virtutem filii morte multavit.

Soles occidere & redire possunt,

Nobis cum semel occidit brevis lux,

Nox est perpetuo una dormienda.

Ad extremum syllogismi fiunt e dubia quaestione, & argumento dissimili.

Quaestio.

Argumentum a dissimili, vel potius dissimilitudinis contractae explicatio.

Non qua ratio est piorum, eadem quoque est impiorum.

Hi enim tanquam a vento disturbantur: illi vero tanquam palma virescunt & tanquam cedri in libano multiplicantur.

Pyrrhus non est Achillis filius.

Hic enim Priamo Hectoris cadaver reddidit: Pyrrhus vero Polytem in patris conspectu trucidavit.

Johan. 10.

Christus non est mercenarius.

Mercenarius enim cum videt lupum venientem, deserit oves & fugit: Christus vero fundit vitam pro ovibus.

Johan. 8.

Vos non estis semen Abrahae.

Abraham enim videre diem meum exoptavit, & gavisus est: vos autem me hominem veritatem quam a Deo audivi loquentem, interficere studetis.

Hinc axioma: *Dissimilium rationem esse dissimilem. & propterea dissimilis est ratio Judaeorum & Abrahae adversus Christum.*

HUc usque de prima specie argumenti artificialis, primis scilicet: sequitur altera, quae est ortorum a primis. Nam ut aliae voces in Grammatica primae sunt, & suae originis: ut, *lignum, aurum, argentum*: Aliae vero ab illis derivatae & ortae: ut, *ligneus, aureus, argenteus*: Ita quoque aliae rationes sive argumenta sunt

prima & suæ originis, quæ scilicet propriam & pœculiarem habent naturam & affectionem, doctrinamque ab aliis distinctam; cuiusmodi sunt, quæ hætenus explicavimus. Alia verò sunt orta & derivata, de quibus deinceps.

*Sunt autem Argumenta derivata à primis, quæ nascuntur & existunt ex illis, vel arguendi imitatione solâ, quâ scilicet arguunt ut prima; vel imitatione & compositione simul, cuiusmodi sunt, quæ non solum arguunt ut prima, verum etiam ex pluribus primis componuntur. Quapropter primorum notæ, signa & symbola sunt, quorum vim arguendi ita representant, ut eorum origo & affectio ex illis dependeat. Nam perinde sunt affecta ad id quod arguunt, sicut prima unde oriuntur: ut, quemadmodum res illæ, quas *poma* appellamus, affectæ sunt erga numen illius deæ, quam *Pomonam* appellabant Romani; quæ est affectio subjecti occupantis, erga adjunctum occupatum: ita vox *pomum*, erga vocem *Pomona* affecta est. Unde hanc arguendi vim inde derivatam esse liquidò constat; ut videas hîc quasi filios parentum suorum naturas referentes. ut in singulis speciebus planius & plenius interpretabimur.*

*Dividuntur porro argumenta à primis orta in conjugata & notationem, distributionem & definitionem; ubi bis binis speciebus pro duobus generibus usurpatis, *διζωλομια* intelligitur, qualem etiam in causis vidimus, & quidem Aristotelis exemplo, ut ibi meminimus: attamen in hanc perfectior em *διζωλομια* conjici possunt, ut alia sint *nominalia*, alia verò *realia*; illa sunt *simplicia*, hæc verò *composita*. *Nominalia* dicuntur, quòd in illis nomina ipsa & voces; argumenta faciant; ut *justus justé, pomum Pomona*; *Simplicia* verò, quòd ex unico tantum argumento primo proficiantur, ut *Conjugata & Notatio*. *Realia* verò sunt, quorum arguendi affectio & vis non in nomine aut voce, verum rebus ipsis inest; *Composita*, quòd non ex uno aliquo, sed pluribus primis simul oriuntur, ut *Distributio & Definitio*.*

At, inquis, *Logica rerum est, non verborum scientia; &*

tia; & propterea Conjugatorum & Notationis doctrina, quia nominalia sunt argumenta, Grammatica potius quam Logica fuerit, ubi de vocibus tractatur. Imó, inquam, logica propterea est: cum enim Entis & non Entis sit, etiam vocum & vocabulorum erit doctrina, quatenus ad arguendas res, ut sæpissimè fieri solet, adhibentur: ut, apud Mosen Esau fratris sui naturam arguit, ex vocabulo & nomine illi imposito: *Merito, inquit, vocatur Jacob, (sonat autem supplantatorem) nam me duabus jam vicibus supplantavit.*

Sed ad doctrinam revertamur. CONJUGATA definiuntur nomina ab eodem principio variè deducta. Cicero in Topicis, *quæ sunt ex verbis generis ejusdem.* Intellige autem planè generaliter, de qualibet vocum ab eodem fonte derivatione, flexione & deductione, sive sint Nomina, sive Verba, sive Adverbia; quamvis hæc Aristoteli Casus appellentur non Conjugata. Dicuntur autem Conjugata, quòd sub uno principii & originis quasi iugo sint; & propterea ex similitudine nominum rem conjunctam significant. Oriuntur autem Conjugata non nisi ex consentaneis, & absolutè, & quodam modo consentientibus.

Conjugata.

Libertas.

Servitus.

Homo.

Senator.

Christianus.

Crux.

Consul.

Liber.

Servus.

Humanitas.

Senatorius.

Christiané.

Crucifixus.

Consularis.

Hinc axiomata é binis conjugatis disposita.

Libertas facit liberos, servitus servos.

Bonorum deorum bonitate est utendum.

Hominem maximè decet humanitas.

Christiano vivendum est christiané.

Hinc denique syllogismi é quæstione dubia & argumento conjugato.

Quæstio.	Argumentum á conjugato.
<i>Licétne Paulo in alio gloria- ri, nisi in cruce Domini?</i>	<i>Non, nam per eam illi mun- dus, & ille mundo est cru- cifixus.</i>
<i>Estne Deorum bonitate u- tendum?</i>	<i>Prorsus, quia boni.</i>
<i>Estne aliquid humani á Chremete alienum?</i>	<i>Nihil, quia homo.</i>
<i>Debétne Cicero tractare An- tonium ut consulem?</i>	<i>Non, quia is nõ tractavit Ci- ceronem ut consularem.</i>

Hinc axioma: Tributo vel remoto conjugatorum uno, tribui vel removeri alterum: ut, *Archias in civitatem ascriptus est, civis igitur. Ager est compascuus, jus igitur est compascere.* Sed negata firma sunt & necessaria: ut, *mori non est miserum, mors igitur non est misera. Non justé agit, non igitur est justus. Affirmantia veró tum de-
mum sunt necessaria, si habitus est constans & longo usu confirmatus; sin minus, non fuerint: ut, David rapiens Uria conjugem, tyrannicé fecit & injusté. injustus igitur & tyrannus. Cambyse iniquo judici cutem detrahens, ejusq; filium in tribunali eo strato collocari jubens, additis his verbis: *Disce justé judicare; justé fecit. igitur est justus.* Utrunque falsum est, neque enim in Davide perpetuum injusté faciendi, neque in Cambyse justé faciendi studium fuit.*

NOTATIO est nominis interpretatio; quando scilicet nomen interpretamur, & causam cur impositum sit, exponimus, & ita ex nomine notante rem notatam arguimus. Nomina siquidem sunt notæ rerum nominumq; vel derivatorum, vel compositorum; si vera notatione fiunt, ratio reddi potest ex aliquo argumento primo. Quod Aristoteles quoque verissimé docet de Interpretatione: animi sensa vel intelligentias rerum esse similitudines; quæ veró sunt in voce, notas & signa sensorum mentis esse, ut ea quæ scribuntur, eorum quæ sunt in voce; & sensa illa apud omnes eadem esse, signa veró & symbola non eadem. Cicero in Topicis, Græcos imitatus, *Etymologiam* vocat: Ramus autem novitatem nominis

minis non satis apti fugiens, *Notationem* appellare maluit, Aristotelem secutus, qui *Symbolum* appellat. Sunt enim voces & verba rerum notæ, signa & indicia. Differt autem notatio Grammatica à Logicâ, quod illa sit accidentium & proprietatum interpretatio, quæ vocibus non ex rerum significatarum, sed ipsarum vocum natura accidunt. Logica notatio verò nomina interpretatur, nominumque rationem cur scilicet rebus sint imposita; quæ ratio est eruenda ex omnibus argumentis illis primis. Sed exemplo res erit illustrior. Esto itaque nomen *Flora*: Grammatica notatio hujus accidentia interpretatur, id est, vocem esse numeri, nomen derivatum à *flos*, simplicis figuræ, singularis numeri, fœminini generis, nominativi casus, &c. Logica verò notatio, nominis impositi rationem interpretatur, & inde ipsam rem nomine notatam arguit, impositum scilicet esse nomen ex subiecto occupante, & exercente hujus Deæ numen, cujus cura omnis in tuendis floribus consumitur & exercetur. Sed esto exemplorum inductio.

Nomen.

Homo.
Vesta.
Focus.
Jacob.
Chrysoſtomus.

Pomona, Flora, Car-
na.

Bambalio.

Lucus.

Parca.

Pyropus.

Hinc axiomata é nomine & notatione disposita:

Stat vi terra suâ, vi stando Vesta vocatur,

At focus à flammis, & quod fovet omnia, dictus.

Pomona & Mellona, quod poma & mella tuentur, dicuntur.

Chrysoſtomus ab aureo orationis flumine nomen invenit.

Gemma flammam splendore imitans appellatur pyropus.

Notatio.

Ex humo.

Vi stare.

Fovere.

Deceptor.

Aureum orationis flumen fundens.

Dea pomorum, florum, cardinum.

Balbus.

Minimé lucens.

Minimé parcentes.

Flammam imitans.

Parca, quia nemini parcunt, nomen sunt sortita. Cujusmodi notationem é dissentaneis vulgò vocant antiphrasin, & Rhetoricam faciunt figuram, sed falsò, cum logica sit notatio, ubi dissentaneum unum, dissentaneo alteri nomen imponit. Sic lucus á lucendo, cum minimé luceat. Dis, quia minimé dives. Ludus, quia minimé in schola ludendum. Bellum, quia minimé bellum.

Ad extremum etiam syllogismi fiunt é quæstione dubia, & notatione nomen disputante.

Quæstio.

Argumentum á notatione.

Hic meritò dicitur Jacob.

Supplantavit enim me duabus vicibus.

Hic locus rectè dicitur focus.

Quia flammâ suâ fovet omnia.

Hic Theologus est Chrysostomus.

Aureum enim orationis fundit flumen.

Gemma hac dicitur Pyropus.

Flammam enim suo splendore imitatur.

Et vicissim é quæstione & nomine notationem disputante.

Quæstio.

Argumentum ex nomine.

Animal rationale ex humo est factum.

Dicitur enim homo.

Hujus deæ numen in pomis, floribus & cardinibus tuendis occupatur.

Est enim Pomona, Flora, Carna.

Aureum fundit orationis flumen.

Est enim Chrysostomus.

Antonii socer est balbus.

Appellatur enim Bambalio.

Est enim notationi ad suum nomen: sic vicissim nomini ad notationem sua affectio: ut, *Animosus est, igitur animi plenus. Locuples est, igitur plenus locorum. Assiduus est, igitur asses dare potest.* & vicissim retrò.

Sequuntur deinceps reales & compositæ categoriæ, quæ quid sint, paulò antè diximus; cujus species sunt: *Distributio & Definitio*; quæ quid sint, paulò infrá specialiter explicabimus; nunc verò communis earum affectio, quæ est reciprocatio & vicissim retrò commutatio, observetur,

observetur, non quidem definitionis & distributionis inter se, non enim invicem arguunt; sed in distributione totius & partium, in definitione veró definitionis & definiti, & vicissim contrá. Totū enim est partiū totum, & vicissim partes sunt totius partes: Similiter definitio definiti est definitio, & definitū vicissim á definitione definitur.

At, inquires, nōne hæc reciprocatōnis affectio communis est quorundam adjunctorum cum propriis subjectis, ut, ridere cum homine, gannire cum vulpe, grunire cum porco? Est, inquam, sed non convenit toti subjectorum & adjunctorum generi; & propterea hujus argumenti magis est propria, hīc enim necesse est distributum cum distributione, & definitum cum definitione vicissim retró recipiari, alioquin definitio, & distributio vitiosæ fuerint: nam plus minúsve fuerit in partibus, aut definitione, quám sit in toto aut definito. Tanta autem præstabilitas est distributionis & definitionis, ut omnes artes hisce tanquam propriis instrumentis tradi & debeant & velint. Sunt præterea artes nihil aliud, quám continua series definitionum divisionumque; primó enim loco generalis est definitio, totius artis naturā complectens, póst ejusdem distributio subjicitur, hinc species definiuntur, hinc dividuntur, exemplisque illustrantur, donec tandem ad infima perveniatur, ultra quæ progredi non licet. Et hac ratione Plato ille omnia dicit esse unum & multa; Unum definitione, multa veró distributione.

Definitur autem **DISTRIBUTIO** *argumentum é primis ortum, cūm totum in partes distribuitur; cujus tanta est vis (ut eleganter meminit idem Plato in Phædro) ut nihil sit divinius; & divisionis peritum cum Deo conferat: ait enim, se dividendi scientis vestigia tanquam Dei alijus secuturum; & contrá imperitos & inscios cum catellis qui pannos lacerant, & cum cocis inscientibus, qui cūm carnes scienter & eleganter secare nesciunt, quoquo modo frangunt.*

Quia in distributionis definitione totius & partium meminimus, illa deinceps explicabimus, & quidem conjunctim, sunt enim relata. *Totius essentia in partium*

complexione comprehensioneque consistit; unde definitur, *quod partes continet*, id est, quod a partibus quoquo modo distingui ac distribui potest. *Partium* vero natura in eo est, quod a toto comprehendantur continenturque, id est, quae quoquo modo totum distinguunt, distribuunt, dividuntque. Quapropter totum arguit partes; & *Distributio* dicitur, cum scilicet totum in partes secamus: & vicissim partes arguunt totum, ut cum partes colligimus, ut totum arguamus constituamusque; & dicitur *Inductio*.

At vulgus, inquit, huiusmodi partium collectionem, quam inductionem appellavimus, inter argumentationis species refert. Sed falso, inquam; est enim tam simplex arguendi ratio ex partibus totum, quam ex toto partes. Praeterea, omnis argumentatio est argumentorum dispositio: Cum autem partes arguunt totum, dispositio est nulla: Inductio igitur non est argumentatio, sed nudum argumentum. Partes autem ex quibus distributio nascitur, non sunt simplices & uniusmodi, sed duplices, cum scilicet sint argumenta consentanea & dissentanea; partes enim cum toto consentiunt, tanquam causae cum effectu, aut subiecta cum adjuncto, & vicissim retró: inter se vero dissentiunt, sunt enim aut disparata, aut relata, aut adversa, aut contradicentia, aut privantia: ut exempli gratia, *Anima & corpus, hominis partes, dissentiunt inter se tanquam contraria; anima enim immortalis, non potest esse mortale corpus, & vicissim, mortale corpus non potest esse immortalis anima. ex quo dissentanea intelligimus: quia vero hominem constituunt, tanquam partes simul junctae, cum eodem consentiunt, tanquam causa cum suo effectu.* Distributio itaque hominis in animam & corpus, consentaneis & dissentaneis constat argumentis. Sed ad extremum, quo totius & partium arctior est consensio & amicitia, partium vero ipsarum inter se capitalior dissensio, eo accuratior fuerit distributio. Ex quo facile conijcimus, perfectissimam esse eam, ubi totum & partes sunt causae & effecta; illa enim consentiunt absolute; partes autem inter se sunt argumenta con-

ta contraria, adversa praesertim. in his enim unum uni inimicissimam dissensione opponitur. Dichotomia itaque, id est, bimembris distributio omnium est perfectissima & absolutissima.


De distributionis speciebus singulis deinceps agemus. Est autem distributio ratione argumentorum consentaneorum, unde oritur, duplex: Alia enim ex consentaneis absolute, & quidem perfectior nascitur, ubi aut totum partibus, aut partes toti sunt essentialia: Alia vero ex consentaneis quodam modo oritur, & quidem imperfectior, ubi totum & partes minime sunt essentialia, sed tantum levi ratione aliqua consentiunt.

Distributio deinde ex absolute consentaneis est, aut ex causis, aut effectis.

DISTRIBUTIO EX CAUSSIS est, quando partes sunt causa totius, id est, cum totum quod dividitur, est effectum, partes vero illud dividentes, causae. Ciceroni proprio vocabulo *partitio* appellatur. Totum proprie hic *integrum* dicitur quasi a partibus integratum, constitutum & absolutum: partes vero *membrum*.

Integrum itaque est totum, cui sunt sua partes essentialia, id est, quod suam essentiam a partibus accipit, & ab illis simul junctis integratur. Et propterea in toto integro plus inesse intelligimus, quam in singulis partibus: ut, plus est in toto homine, quam sit in ejus parte alterutra, corpore vel anima, si seorsim utramvis spectes. Membra vero sunt integri partes, quae essentiam illi largiuntur, utpote quod, ut modo meminimus, ab illo integratur & constituitur. Hujus loci fuerit etiam, cum longior alicujus rei tractatio & explicatio, ut sunt orationes, disputationes, conciones, declamationes, poemata, & si qua sunt similia, in membra distribuuntur & diducuntur: ut,

Distributio ex causis.



<i>Etymologia.</i>	}	<i>Grammatica.</i>	
<i>Syntaxis.</i>			
<i>Elocutio.</i>	}	<i>Rhetorica.</i>	
<i>Actio.</i>			
<i>Ordo Senatorius.</i>	}	<i>Civitas Romana.</i>	
<i>Equestris.</i>			
<i>Plebejus.</i>			
<i>Æther.</i>	}	<i>Mundus.</i>	
<i>Elementum.</i>			
<i>Anima.</i>	}	<i>Homo.</i>	
<i>Corpus.</i>			
<i>Agrorum</i>	}	<i>cultus. Opus georgicon.</i>	
<i>Arborum</i>			
<i>Pecoris</i>			
<i>Apum</i>			
<i>Disputatio, an senectus</i>	}	<i>Dialogus de senectute.</i>	
			<i>avocet á rebus gerendis?</i>
			<i>corpus faciat infirmum?</i>
			<i>privet voluptatibus?</i>
		<i>procul absit á morte?</i>	

Hinc axiomata é toto & partibus disposita, sed non nisi composita (vulgus vocat propositiones Hypotheticas) ut in toto distributionis genere:

Dialectica partes sunt Inventio & Judicium, &c.

Romana civitas constat ordine senatorio, equestri & plebejo.

Homo corpore & animá integratur.

Mundus athere & elemento perficitur.

Hinc & syllogismi é dubia quæstione, & partibus totum integrantibus.

Quæstio.

Estne Chrysippus Dialecticus?

Estne Hermogenes Rhetor?

Argumentum á partibus.

Est, tenet enim inveniendi & judicandi præcepta.

Est, tenet enim rationem tropis & figuris exornandi, & voce & gestis pronuntiandi.

Estne

*Estne Cicero á tota civitate Romana ab exilio red-
ctus?*

*Est, quia senatorius, eque-
stris & plebejus ordo ob-
viam illi processit.*

*Estne mundus á Deo fabri-
catus, an æternus?*

*Fabricatus, quia fecit calum
& terram.*

Et vicissim fiunt syllogismi é dubia quæstione, & to-
to partes disputante.

Quæstio.

Argumentum á toto.

*Chrysippus tenuit & inveni-
endi & judicandi præcepta.*

Fuit enim Dialecticus.

*Hermogenes elocutione &
actione orationem expo-
lire potuit.*

Quia Rhetor.

*Senatorius, equestris & ple-
bejus ordo Ciceronem re-
duxit.*

Quia tota respublica.

*Creavit Deus calum & ter-
ram.*

Quia totum mundum.

Ubi axioma: Posito vel remoto integro, poni vel remove-
ri membra. causa est quod toti sint essentialia: ut, domus
est: igitur fundamentum, paries, tectum. & domus non
est: neque hac igitur. Et contra: Collectis simul omni-
bus membris, integrum esse necesse est: ut, tenet & inveni-
endi & judicandi scientiam: tenet igitur Dialecticam.
Posito vel remoto uno membro tantum, poni integrum ne-
cesse non est: ut, tyranni possunt occidere corpus: igitur to-
tum hominem. quod satis refutat Christus, cum inquit:
non esse timendum ab iis, qui corpus occidunt, animam
autem perdere non possunt; sed ab eo, qui totum homi-
nem in gehennam conjicere potest. Sic remota una for-
me parte, removetur tota: ut apud Catullum: *Quintia
est candida, longa & recta; ergo formosa: refutat Ca-
tullus:*

Totum illud, formosa, nego: nam nulla venustas,

Nulla in tam magno corpore mica salis.

*Lesbia veró est candida, longa, recta, venusta & lepida:
igitur formosa.*

DISTRIBUTIO EX EFFECTIS deinceps est, al-
tera scilicet species, quando partes sunt effecta, id est, cum

illud quod distribuitur, est caussa, communicans scilicet essentiam cum partibus; partes veró distribuentes sunt effecta, id est, totius essentiam & naturam participant: ut ita superiori é regione sit contraria; ut enim ibi causæ partiebantur effecta: ita híc vicissim effecta dividunt caussas. Ubi interim observandum, nihil interesse, sintne effecta caduca & momentanea, an veró æterna & perpetua, id est, ideæ & imagines, quas species appellamus, de quibus postea latiús & pleniús per totum hoc caput. Nunc exemplis caducis doctrinam obiter illustremus: ut, Cicero in Senectute, nautas tanquam caussas dividit ex effectis: *In navi, inquit, nautæ alii malos scandunt, alii per foros cursitant, alii sentinam exhauriunt, gubernator autem clavum tenet in puppi.* Similiter Virgilius animas campos Elysios incolentes distribuit, Æneid. 6.

Pars in gramineis exercent membra palæstris:

Contendunt ludo & fulvâ luctantur arenâ:

Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt.

Et pauló post:

Conspicit ecce alios dextrâ lavaq; per herbam

Vescentes, latumq; choro Paana canentes,

Inter odoratum lauri nemus.

Sic distribuere literarum studiosos, alios bene loqui, alios dicere, disserere, numerare, metiri, alios denique aliud studii genus exercere: & opificum alios calceos consuere, alios vestes sarcire, panes pinsere, crines tondere, mercaturam, & alios aliud opificii genus exercere. Verúm populares sunt hujusmodi distributiones minimeque perfectæ, & propterea ubi accuratiús est distribuendum, locum non habent: sed quæ rerum sunt æternarum, ut generis in suas species, maximé híc excellunt. Totum itaque genus híc appellabitur similitudine quadam per metaphoram huc traductâ voce ab hominum familiis. Quemadmodum enim illi qui ejusdem sunt generis & familiæ, non pauca inter se habent communia, ut sunt insignia, cognomina, aliaque nonnulla, & ab iisdem majoribus ortum ducunt: ut, *Tantalides & Tantaló, Priamides & Priamó*

mo: Ita etiam ejusdem generis species, generis sui essentiam æqualiter participant: ut, homo & bestia animalis; ex quo tanquam causa existunt. Pars appellatur hinc *species*, Ciceroni etiam *forma*. Verum cum forma causæ species supra sit facta; ut amphibolia errorum genitrix vitetur, *speciem* appellare maluit Ramus; cum non minus sit latina vox, & in hac significatione à Cicero usurpata.

GENUS est totum partibus essentialibus, id est, quod speciebus essentiam largitur. SPECIES verò contrà pars est generis, id est, quæ generis essentiam accipit & participat; ut hoc pacto genus integro, ut species membro intelligatur opponi: Integrum enim à membris essentiam accipit; genus verò speciebus largitur. & vicissim, Membra toti essentiam largiuntur; Species verò à genere accipiunt: ut, *homo & bestia*, accipiunt ab animali essentiam, & æqualiter participant quicquid in animali inest; & vicissim animal illam ipsam (cujusmodi est essentia corporea, animata, sentiens) cum illis communicat & largitur; & propterea tam de homine quàm de bestia animal enunciari potest: ut, *homo est animal, bestia est animal*. Homo verò integro à membris, anima & corpore constituitur, ut quicquid in eo inest, illud totum quantum est, membris acceptum referre debeat: quapropter cum plus in toto sit quàm singulis membris; de singulis seorsim enunciari non potest. non enim anima est homo, ut nec corpus, sed anima & corpus conjuncta.

Genus duplex est: Generalissimum, aut subalternum; quemadmodum & Species, quæ est subalterna, aut infima sive specialissima.

Generalissimum genus est illud, cujus nullum est genus, sed perpetuò ipsum genus est, nec unquam species esse potest: cujusmodi in Logica Inventione est Argumentum, genus artificialis & inartificialis argumenti; in Judicio Dispositio est genus axiomatis & dianois; in Geometria magnitudo, linea & lineati; in Physicis natura, simplicis & compositi corporis; in Ethicis Virtus, fortitudinis, temperantia & justitia.

Subalternum genus, quod species est hujus, illius autem genus; quapropter etiam alio nomine Subalterna species appellatur, est enim simul & species scilicet alicujus superioris, & genus alicujus inferioris: ut, in Inventione, Causa species est argumenti absolutè consentanei, genus materia & forma. In Judicio, Dianoa species est dispositionis, genus Syllogismi & Methodi. In Geometria, lineatum species magnitudinis, genus superficiei & corporis. In Physicis, Elementum species corporis simplicis, genus aëris, aqua & terra. In Ethicis, Fortitudo species virtutis, genus patientia.

Species denique specialissima in alias species est individua, quæ cum perpetuò sit species, nunquam genus esse potest, ut sunt res qualibet singulares, quæ vulgò Individua appellantur.

Vulgaris Dialecticorum error hîc notandus, qui speciem specialissimam ajunt esse eam, cui res singulares sunt proximæ, ut *homo*; quæ verò huic subsunt res singulares, *Individua* vocant. Si verò diligentius generis & speciei naturam expenderit, errorem facile deprehendes. Cùm enim genus sit, quod essentialè est suis partibus; vulgi autem illa specialissima species essentialis sit rebus singularibus, quæ illis Individua dicuntur; Species illa etiam genus fuerit, & per consequens non specialissima species, sed res illæ singulares, quæ vulgò Individua appellantur. Ubi interim notabis, genus generalissimum & subalternum, item subalternam speciem, nihil aliud esse quàm ideas illas Platonis, quas æternas esse dixit; intereuntibus enim singularibus rebus, manent illæ immortales & immotæ: ut, *Rosa idea etiam tum cum nulla effloruerunt vel in rerum natura extant, immota tamen est & vera ejus definitio. Sic hominis, canis, & cæterarum bestiarum idea, quamvis interim singula morte intereant, immortales sunt.*

Ex jam commemoratis liquidò constat, Genus referam esse & symbolum causæ; cùm ejus vi species existat: & vicissim speciem effecti esse notam, utpote quæ generis vi constet: ut, *in animali est essentia corporea.*

corporea, qua materia est ad species communiter attinens: tum facultas vitæ & sensus, qua forma item communiter ad species spectat. Sic in arte sunt præcepta, ejus scilicet materia ad species Dialecticam, Grammaticam, Rhetoricam communiter attinens: tum methodica dispositio, qua forma item communiter ad eas spectat; ad quas postea specificæ, ut loquuntur, differentiæ accedentes ipsas discernunt & discriminant: ut, λόγος, id est, ratio ad hominem scilicet accedens, qua à bestia discernitur qua ἄλογος est & rationis expers. Unde facile conjicere licet, in specie plus inesse quàm in genere, hanc scilicet specificam, quam diximus, differentiam. Hinc illæ laudes generis, quibus ab Aristotele tantopere celebratur, quòd scilicet sit honorabile, quia causam declarat, quæ fons est omnis scientiæ, ut supra; quòd magis sit causa, quòd magis simplex, magis principio simile quàm species, & propterea etiam ad scientiam consequendam aptius. Sed exemplis hoc distribuendi genus declaremus, quod quidem valde excellit, propterea quòd genus sit symbolum causæ. Sed, ut pulchra omnia difficile est inventu, quia non facileprehendas, invento etiam genere, species illas duas, quæ contrariis formis διχοτομίαν constituunt.

Distributio.

Genus.	Species.
Dispositio.	{ Axioma. { διάνοια.
Elocutio.	{ Tropus. { Figura.
Corpus simplex.	Lucidum, umbrosum.
Elementum.	Pellucidum, opacum.
Animal.	Homo, bestia.
Virtus.	Prudentia, justitia, fortitudo, temperantia.

Hinc axiomata é genere & speciebus, sed non, nisi ut meminimus composita.

Animal est homo aut bestia.

Virtus est prudentia. justitia. fortitudo & temperantia.

Judicium est Axioma aut Dianois.

Elocutio est Tropus aut Figura.

Est & alia generis & specierum dispositio, ubi tantum species una cum genere disponitur, & quidem simpliciter: ut,

Homo est animal.

Tropus est elocutio.

Prudentia est virtus.

Aër est elementum.

Hinc Syllogismi è quaestione dubia & genere disputantur. Ubi axioma: *Negato toto genere, negari protinus omnes species; ut, Animal non est immortale; igitur nec homo nec bestia. Affirmato verò, non protinus quamlibet speciem affirmari, nisi totum genus affirmatum sit: ut, Non quia aliquod animal est rationale, etiam bestia rationalis fuerit; sed quia omne animal vivit & sentit, etiam homo & bestia vivunt & sentiunt.*

Quaestio.

Argumentum à genere.

Suntne eloquentia & poetica communione quadam comprehensa?

Sunt, quia artes.

Estne fortitudo actionum conformatio recta rationi?

Est, quia virtus.

Disponitne axioma ad bene judicandum?

Disponit, quia judicium.

Estne aër corpus simplex, instabile?

Est, quia elementum.

Et vicissim species disputant genus: Aliquando una, quâ affirmatâ affirmari genus necesse est; quia essentia generis in specie inest; si autem essentia est, ipsum esse necesse est: At negata una specie non protinus genus negaveris; cum essentia ejus non in una tantum sed pluribus sit speciebus: quapropter si hæc non sit, illa fortassis fuerit; ut, *non quia bestia ratione caret, omne animal caruerit: Aliquando plures; & omnes species colliguntur, ut genus affirmetur vel negetur, & Inductio dicitur, ut in exemplis patebit.*

Quaestio.

Quæstio.

Argumentum á specie vel una vel pluribus.

*Suntne artes communione quadam connexa?**Sunt, quia Eloquentia & Poëtica sunt connexa.**Apparétne virtus rebus aduersis?**Apparet, quia militaris fortitudo, prudentia nautica & medica rebus aduersis apparet.**Estne perturbatio aliqua a-
gritudo?**Est, quia dolor.**Estne aliqua virtus iustitia
propugnatrix?**Est, quia fortitudo.*

Memineris, si uteris specierum inductione, ut eas omnes ponas ut totum affirmes, & contra removeas ut neges; sin minus, data, ut loquuntur, instantia, id est, in medium adducta dissimilitudine, solvetur: ut, si probare velis, omne animal esse irrationale, enumeratis aliquot speciebus, ut, pisces sunt irrationales, aves, fera & reptilia sunt irrationalia, ergo omne animal est irrationale: adducto homine, detecta fuerit falsitas, qui cum sit animal, rationalis tamen est. Ad species etiam exempla referes suo generi accommodata. aliàs enim etiam similia vel dissimilia fuerint: ut, mori statutum est hominibus, ut Adamo & Evæ.

*Nulla fides regni sociis, omnisq; potestas
Impatiens consortis erit.*

Ut Crassus, Pompejus, Casar. Sic Cicero adversus Pompejum ratiocinatur, non esse urbem deserendam adventante Cesare, quod Romani urbem non deseruerunt adventantibus Gallis. Pompejus contra deserendam esse probat, quod Themistocles Xerxis adventu deseruit Athenas. Cicero denique alio exemplo in medium adducto deserendam negat, quia Pericles non reliquit Athenas, & ipsos Romanos capta jam urbe arcem tamen tenuisse. Sic specialia exempla suis regulis ascripta hujus etiam loci fuerint; sed sint, ut recte monet Aristoteles libro 8. cap. 2. Topicorum, Homerica, non Chærilea, id est, ad illustrandum apta, non inepta: *Exempla, inquit, propria & ad rem apta esse debent, & ejus-*

modi, ex quibus res intelligatur; cujusmodi illa sunt qua Ho-
 Charilus fuit merus non qua Chærilus commemorat. Sic enim notitas erit
 Poëta sed ma- & clarius id quod proponitur. Est autem exemplorum tan-
 lus. ta vis, ut Plato in Lyside non dubitet illa vocare vades
 disputationis, quasi spondeant pro eo quod est proban-
 dum.

Reliqua est *distributio quodam modo consentaneorum*, in
 quibus totum cum partibus consentit levioere non ab-
 soluta consensione. Nec enim totum partibus, nec partes
 toti essentiales sunt, sed præter naturam accedunt. Qua-
 propter totum & partes similitudine quadam ita dicun-
 tur, non autem veræ essentiæ ratione. Estque *Subjeëtorum*
 & *Adjunëtorum* pro numero argumentorum quodam
 modo consentientium.

Distributio ex subjeëtis est, quando partes sunt Subjeëta,
 id est, cum totum est Adjunëtum, partes distribuentes
 Subjeëta vel recipientia in se, vel ad & circum se, vel occu-
 pantia & exercentia.

Distributio.

Subjeëta.

Adjunëtum.

Pater. }

Mater. }

Virgo. }

Fortuna. }

Corpus. }

Anima. }

Lex. }

Evangelium. }

Numerus & magni-
tudo.

Aspeëtabilia. }

Audibilia. }

Odorabilia. }

Gustabilia. }

Traëtabilia. }

Virginitas.

Bonum.

Theologia.

Mathesis.

Sensus.

Hinc axiomata ex adjunëto diviso & subjeëtis divi-
 dentibus.

Virginitas

Virginitas Julia partim est patris, partim matris, partim ipsius virginis.

Bonum aliud fortuna est, aliud corporis, aliud anima.

Mathesis occupatur in numero & magnitudine.

Theologia explicat Legem & Evangelium.

Hinc & Syllogismi e questione dubia & tertio argumento, quod modo est totum modo partes.

Quæstio.	Argumentum.
<i>Juliæ fastidiat conjugium Manli?</i>	<i>Virginitatis tantum pars tertia est illius, reliqua parentum.</i>
<i>Docet Legem & Evangelium.</i>	<i>Quia Theologus, & vicissim.</i>
<i>Mathematicus est Archimedes.</i>	<i>Quia tractat numeros & magnitudines, & vicissim.</i>
<i>Deus est ubiq.</i>	<i>Est enim in celo, terra, mari, &c.</i>

Distributio denique ex Adjunctis superest, quando partes sunt Adjuncta, id est, cum totum est Subjectum, partes vero Adjuncta.

Distributio.

Adjuncta.	Subjectum.
<i>Sanitas. } Ægrotudo. }</i>	<i>Homo.</i>
<i>Salutare. } Noxium. }</i>	<i>Pharmacum.</i>
<i>Calor. } Temperies. } Frigus. }</i>	<i>Mundus.</i>
<i>Belga. } Aquitani. } Celta. }</i>	<i>Gallia.</i>

Hinc axiomata ex Adjunctis distribuentibus & Subjecto distributo: ut,

Hominum alii sunt sani, alii egri.

Pharmacorum aliud est salubre, aliud noxium.

Terra alibi est torrida, alibi temperata, alibi frigida.

Galliam incolunt Belgae, Aquitani & Celtæ.

Hinc & syllogismi é dubia quæstione & argumento, toto vel partibus.

Quæstio.

Galli disident linguâ, institutis & moribus.

Non quævis pharmaca homini conducunt.

Terra variis qualitatibus infestatur.

Argumentum.

Sunt enim alii Belgæ, alii Aquitani aut Celtæ.

Alia enim sunt salubria, alia noxia.

Alibi enim est calida, alibi frigida, alibi veró temperata.

HAstenus de Distributione. Sequitur deinceps DEFINITIO, ultimum artificiale argumentum, & quidem Distributioni contrarium. Quemadmodum enim Distributio arguit quotuplex sit, dividendo: sic Definitio quid sit, circumscribendo & rei naturam colligendo. Sunt autem vocabula geometrica, distributio sive sectio, & definitio, propter similitudinem huc translata, quam habent cum hisce argumentis: Ut enim perimenter spatium magnitudinis comprehendit: sic definitio perimetri instar, rei naturam comprehendit, & complicatam involutamque animi de ea notionem aperit, explicat & evolvit: quare á Cicerone dicitur, quæ aperit notionem nostram, quam habemus de re definienda tectam atque involutam. Contrá, quemadmodum diameter figuram per centrum secat: ita distributio totius affectionem secat per partes. Est autem ultimo inter artificialia loco, quia ex omnibus jam explicatis tam primis quam inde ortis argumentis existere potest. At, inquires, definitioni primus locus de Methodi sententia debetur: At, inquam, alia est res, cum definiendi ratio & artificium docetur, alia cum quippiam definitionibus & divisionibus est explicandum. illic enim omnia illa prius sunt cognoscenda, quorum usus est in definiendo: hic veró con-

rō contrā statim primo loco definitio est constituenda, ut intelligatur quid sit id de quo disputatur. Definitur: *cūm explicatur quid res sit*. Ubi genus intelligitur commune cum Distributione, argumentum scilicet quasi reale; forma autem est in explicatione & interpretatione rei, deprompta ex illis argumentis, unde eius essentia est composita & derivata.

Ut autem definitio definitam rem arguit: ita vicissim ab ea arguitur; ut mutua inter eas sit affectio & relatio. Definitio enim definitum definit, & vicissim retrō, definitum á definitione definitur, & utrunque cum altero recipitur. Tantam autem Plato præstabilitatem rectæ & perspicuæ definitioni tribuit in Philebo, ut clarissimo Soli eam comparet.

Est autem duplex ratione perfectionis & absolutionis: aliquando enim perfectiūs, aliquando populariūs definitur, *perfecta* scilicet & *imperfecta*. Illa propriè *definitio*, hæc verò *descriptio* dicitur.

Perfecta est DEFINITIO, constans ex solis causis essentialibus, quales genere & formâ comprehenduntur. qua definitione genus, forma & parentes eius comprehenduntur: genus quidem est in vocabulo definitionis, quo explicationem rei intelligimus; forma deinde in essentialibus causis, quibus rei essentiam explicat. Dicuntur autem essentialis causæ, quod rei naturam constituunt & absolvunt: constitutæ verò & absolutæ ita insunt, ut ab ea ne cogitatione quidem seungi possint. Parentes intelliguntur, dum explicatur quæ sint illæ causæ essentialis, nempe materia & forma, quarum materia & formæ pars cōprehenduntur genere. Formæ deniq; absolutio, vulgò *differentia* appellatur: Sic *homo* definitur *animal rationale*, nempe genere; per *animal* intelligimus essentiam corpoream, plenam vitæ & sensus; quæ materies hominis est & pars formæ; cum qua si addas *rationale*, totam formâ hominis comprehendes, vitæ, sensus & rationis facultatē. Est itaq; hæc perfectè definiendi ratio nihil sanè aliud, quàm universale symbolū causarum essentiam rei & naturâ constituentium. Sed ut hoc

genus maximé est præstabile: ita propter obscuritatem formæ propriæ rarius & difficilius est: descriptiones veró magis sunt populares.

Definitio.

Definitum.

*Ars bene disferendi.**Dialectica.**Corpus animatum, sentiens.**Animal.**Animal rationale.**Homo.**Ars bene conformandi mores rectæ rationi.**Ethica.*

Hinc axiomata ex definito & definitione disposita ut,

*Dialectica est ars bene disferendi.**Animal est corpus animatum, sentiens.**Homo est animal rationale.**Ethica est ars bene conformandi mores rectæ rationi.*

Hinc denique Syllogismi é dubia quæstione & definitione definitum, aut definito definitionem disputante:

Quæstio.

Argumentum &c.

*Estne homo imago Dei?**Quia animal rationale.**Dialectica est imago rationis.**Est enim ars bene disferendi.**Ethica nulla vita pars carere potest.**Est enim ars bene conformandi mores rectæ rationi.**Animal motu est præditum.**Est enim corpus animatum, sentiens.*

Et vicissim contrá, definitum suam definitionem disputat, æque firmiter, & negatè, & affirmatè. Definitio enim suo definito æqualis & reciproca est.

Altera species est *Descriptio*, definito scilicet popularis & in vulgus etiam nota, & pueris ipsis usurpata, cum aliquid nobis quoquo modo delineare volunt; cum perfectæ usus tantum sit in accuratè docendo, & multo labore investigabilis ob formæ obscuritatem. *Est autem Descriptio definitio ex aliis argumentis quibusvis essentialibus*

non explicantibus definiens, ut non ex insita natura, sed externis notis rem arguat. Sic sæpissimè definimus ex Dissentaneis: ut,

*Virtus est vitium fugere, & sapientia prima,
Stultitiã caruisse.*

Ex comparatis.

Stulte quid est somnus, gelida nisi mortis imago?

Ira furor brevis est.

Ex conjugatis: ut, *Argumentum est, quod ad aliquid arguendum est affectum.* Ex partibus: ut, *Mundus est compages e celo terraque constans, & iis naturis quæ hisce comprehenduntur.* Aliquando ex pluribus argumentis mistis. Sic Deus Exodi 34. ab adjunctis & factis: *Jehova Deus est misericors & exorabilis, ad iram tardus, ad clementiam & auxilium propensus, qui clementia in mille usque aetates utitur, vitia & peccata & delicta condonans, in pœna irroganda parentum culpam in natos & nepotes, in tertiam & quartam stirpem prosequitur: Similiter Æncidos i. maris tempestas ab Æolo excitata describitur. Sic Fama quarto: Fama regia metamorph. 12. Fames 8. Somnus & somni regia 11.*

*Est propè Cimmerios longo spelunca recessu
Mons cavus, ignavi domus & penetralia somni:
Quo nunquam radiis oriens, mediùsve cadensve
Phœbus adire potest, nebula caligine mista
Exhalantur humo, dubiæq; crepuscula lucis.
Non vigilales ibi cristati cantibus oris
Evocat Auroram, nec voce silentia rumpunt
Sollicitive canes, canibusve sagacior anser,
Non fera, non pecudes, non moti flamine rami,
Humanæve sonum reddunt convicia lingua.
Multa quies habitat, saxo tamen exit ab imo
Rivus aquæ lethe, per quem cum murmure labens
Invitat somnos crepitantibus unda lapillis.
Ante fores antri foecunda papa vera florent
Innumeraq; herba, quarum de lacte soporem
Nox legit & sparsit per opacas humida terras.
Janua ne verso stridorem cardine reddat,
Nulla domo tota est, custos in limine nullus.*

*At medio thorus est hebeno sublimis in antro,
Plumeus, unicolor, pullo velamine tectus,
Quo cubat ipse Deus membris languore solutis:
Hunc circa passim varias imitantia formas
Somnia vana jacent totidem quot messis aristas,
Sylva gerit frondes, ejectas littus arenas.*

Quapropter varia etiam ejus sunt nomina: modo enim appellatur *periphrasis*, modo *hypotyposis*, modo *hypographe*, modo *paragraphe*, aliàs *types*, *allusio*, *adumbratio*. Tales sunt descriptiones plantarum, animalium in physicis; fluminum, urbium, montium in geographicis; item temporum & personarum, quæ dicuntur *topographiæ*, *chronographiæ*, *prosopographiæ*; quibus sæpe utimur, quod præstantius illud genus, ut meminimus, ferè desideretur ob formarum obscuritatem, in quo brevitatis, cum hinc magnificentia & apparatus, laudatur. Arguendi itaque ratio & disputandi syllogisticæ, cum definitione perfecta conveniunt.

Exposito artificiali argumento, sequitur *inartificiale* (Ciceroni modo *assumptum*, modo *foris assumptum*, aliquando *sine arte*, aliquando *remotum*.) Dicitur inartificiale, quod arguendi artis energiam expertus sit, sed quicquid facultatis habet ad arguendum, foris hoc ex aliquo argumento artificiali assumit; ut ita non propria & insita, sed adventitia & assumpta vi arguere intelligamus: ut, Solon ait: *rempub. premio & pœna contineri*; testimonium sanè Solonis nihil aut parum virium habet, ut credamus esse verum, quia Solon dixit; sed Solonis argumenta artificialia, ut sunt effectum, feliciter administrasse rempub. & adjuncta, esse philosophum, habere sapientiam & experientiam rerum: hæc, inquam, ut credam movent.

Quapropter rectè definitur, *quod non sua natura, sed assumpta artificialis alicujus argumenti vi arguit*. Alio nomine *auctoritas* dicitur, quæ quidem parum aut nihil roboris habet, nisi artificialis firmamento fulciatur corroboreturque. Non enim, ut rectè monet Aristoteles, res est aut non est, quia affirmatur aut negatur: verum quia ita est aut non est, affirmatur aut negatur; ut affirmatio & negatio

negatio rei, non autem res illis sit applicata accommodataque. Itaque cum exquisita rerum veritas subtilius exquiritur, perexiguam vim probationis habet a se & sua natura. In politicis & humanis rebus plerunque hoc argumentum fidem facit e testis moribus, si scilicet prudentia, si virtus, benevolentia, praestantia, veritas & rerum experientia adfuerint.

Sed profuerit principum philosophorum sententias audire, praesertim cum inveterata sit hodie multorum opinio, non recedendum esse a veterum auctoritate. Plato in Protagora illos, qui testimoniis nituntur, cum imperitis convivis comparat, qui adhibitis tibicinibus aliena voce convivium transigunt, cum periti & sapientes inter se colloquantur; tandem inquit: *Hujusmodi disputatores ego & tu esse debemus: & poetis posthabitis, rationibus nostris rem ipsam discutere, facereque tam ingenii nostri quam veritatis periculum.* Et in Gorgia: *Nihil te profecturum puto, nisi ego unus solusque tibi consentiam: tum ommissa aliorum testium multitudine id ipsum efficias.* In Charmide: *Quidnam refert Socrates, inquit Charmides, ex quo audiverim? nihil inquam, profecto: neque enim id considerandum est quis dixerit, sed utrum veré dicatur.* Probé nunc loqueris, inquit: *Recté per Jovem, inquam.* Et in Critone: *Ego is sum, inquit, non modo nunc, sed & semper, qui meorum nulli paream praterquam rationi, qua ratiocinanti mihi optima videatur.* Hisce magistri sui rationibus motus Aristoteles liberrimé contra Platonem sentit, adeo ut 6. cap. lib. 1. contra ideas disputaturus dicere non vereatur; *amicum esse Platonem, amicum Socratem, magis tamen amicam veritatem.* Et 1. de Interpretatione, *Non quia, inquit, affirmatum aut negatum est, idcirco erit aut non erit; affirmatio enim & negatio de rei essentia nihil mutat.* Quapropter recté & Cicero libro 1. de natura D. *non tam auctores in disputando, quam rationis momenta querenda esse admonet.*

In divinis veró divina testimonia omni ratione superiora erunt, quibus sine omni exceptione omniq; ratione assentiendū sit, sive Deus ipse ostendit & pronunciat, sive divino instructu per creaturas proditum sit. Deus

enim tam fallere quàm falli nescit, adeó ut si angelus é cælo, ut Paulus inquit ad Galatas 1. quicquam contrá afferat, anathema sit. est enim, ut 2. Epistola ad Corinth. 1. Etiam & Amen.

Testimonii genera ex causis efficientibus duo sunt: divinum & humanum; nam hæ naturæ solæ de rebus testantur.

At, inquires, testimonium ita non fuerit Entis & non Entis, si Deus tantúm & homo testificentur: At profus inquam. nam Deus & homo de Ente & non Ente testificari possunt.

Divinum testimonium Deum habet auctorem, quod vel ipse pronunciavit, vel ejus instructu est pronunciatum. Huc deorum gentilium oracula, vatum, fatidicorum, divinorum responsa, Chaldeorum vaticinia, & si qua sunt similia.

Testimonium.

Testatum.

Esaias cap. 7.

Christus nasciturus erat ex virgine.

Paulus ad Romanos & Galatas.

Justificari fide sine operibus.

Visa meteora, aruspicum prædicta, Jovis signum.

Conjunctionem Catilinariam: Deorum ope esse detectam.

Apollo promisit.

Neera Tibullo nubet.

Hinc axiomata é testimonio & testato disposita: ut,

Esaias vaticinatus est Christum é virgine nasciturum.

Paulus testis est hominem justificari fide sine operibus.

Conspecta meteora, aruspicum responsa, Jovis statua, Catilinariam conjunctionem deorum ope detectam testificantur.

Apollo promisit Tibullo conjugium Neera.

Hinc & Syllogismi é questione dubiâ testimonio disputantur.

Quæstio.

Testimonium.

Estne Christus é virgine natus?

Esaias enim vaticinatus est.

Estne

*Estne salus Attica in muris
ligneis?*

*Estne mundus factus, an æ-
ternus?*

Nubétne Neera Tibullo?

*Delphici enim Apollinis est
oraculum.*

*Moses enim inquit in princi-
pio Deum calum & ter-
ram creasse.*

*Apollo enim in somno promi-
sit.*

Ubi axioma: *Quod Deus fatur & testatur, aliter esse non posse: ut, Si Christus dixit, non moriturum quisquis in ipsum credit; immutabiliter verum. Si sacris literis proditum est, extra novam illam Jerusalem excludendos canes, veneficos, impudicos, homicidas & divicolas, & quisquis falsa amat & facit; verum est, nec aliter esse potest.*

Superest ad extremum *humanum testimonium, quod ab homine scilicet proficiscitur, sive illud dixit, sive sapiëntia sua & auctoritate confirmavit, ut sunt leges scripte, sententiæ illustres, sapientum dicta, promissiones: quidquid præterea humana auctoritate nititur, etiam lex illa naturalis vel potius naturalia omnia illa, quæ hominum mentibus à natura informata & ingenerata sunt.*

Distribuitur in commune & proprium.

Commune appellatur illud, quod de pluribus testatur & multis applicari potest, quodque nulli singulari homini tanquam causæ tribuitur, ut sunt leges scriptæ & non scriptæ, sententiæ illustres, proverbia & adagia.

Testatum.

Testimonium.

*Permissa est cuiq; sui defen-
sio.*

*Parentes esse honorandos &
gratiam bene meritis esse
referendam.*

*Senes senum commercio gau-
dere.*

Superbia invisum vitium.

*Non temere pro alio sponden-
dum.*

Lex natura.

*Lex natura & decalogo pro-
mulgata.*

*Pares cum paribus facile
congregari.*

Nosce teipsum.

*Sponde, nam præsto est detri-
mentum.*

Hinc axiomata: *Lex natura sui defensionem permittit.*
Lex natura & decalogi, parentes honorandos, & bené me-
ritis gratiam referendam testatur.

Proverbium, pares cum paribus facilé congregari, monet.
senes senum commercio gaudere.

Hinc & syllogismi é quæstione dubia, & lege vel illu-
 stri sententia, illam disputante.

Quæstio.

Argumentum.

Non omnis cades est nefaria.

Lex enim natura permittit
latronem vel hostem oc-
cidere: scripta veró, furem
nocturnum, diurnum et-
iam, si se telo defendat.

Absolon pulso patre pro rege
se gerens impié fecit.

Lex enim natura jubet pa-
rentes esse honorandos.

Marcus Cato aliorum senum
commercio gaudet.

Pares enim cum paribus fa-
cilé congregantur.

Non temeré pro alio sponden-
dum.

Dictum enim est Sapientum;
Sponde, nam præsto est detri-
mentum.

Proprium testimonium est quod in una aliqua re te-
 stificanda occupatur, id est, hypothésibus & singularibus
 quæstionibus convenit, sive hujusmodi testimonia sint
 præsentium sive absentium, sive vivorum sive mortuo-
 rum: ut cum hæredes de fundo vel agro vel area litigan-
 tes, producto in medium testimonio hominis mortui
 dirimuntur, & lis consopitur.

Testatum.

Testimonium.

Felix est Respub. ubi sapien-
tes homines regunt, aut
qui regunt, omne studium
in sapientia collocant.

Plato inquit.

Respublica continetur præ-
mio & pœna.

Solon auctor est.

Artium

*Artium radices amarae sunt, Aristotelis testimonio.
fructus veró dulces.*

*Hac una via ad gloriam Socratis opinione,
proxima, & quasi com-
pendiaria est, ut talis sis
qualis haberi velis.*

Hinc axiomata & syllogismi eodem modo disponuntur quo supra.

Huc etiam refer *obligationes*, quando scilicet nostram fidem obligamus, & spondemus ita esse ut dicimus, sive id ipsum nudis verbis, sive syngrapho confirmetur: ut, *Augustus talis semper erit civis ut hodié, qualémque eum maximé esse volumus & optare debemus: quia ego Cicero recipio, promitto, spondeo.*

Similiter etiam *pignora, vades, prades, & obsides*, quibus itidem confirmamus quod dicimus. Sic Juda confirmat Tamaræ suæ nurui datâ armillâ pignori, missurum se esse hædum. Similiter Damœta Menalcæ, & vicissim Menalcas Damœtæ se præferens, uterque alteri pignus pro argumento deponit, alter vitulam, alter veró duo pocula. Sic *confessiones liberae*, ut cum Cicero non coactus in Ligariana oratione Pompejanas partes se secutum esse confitetur; & *confessiones vi expressæ*, quæ propriè quæstiones dicuntur. Sic Ruscio & Casca adhibitâ quæstione Clodium Miloni infidias fecisse affirmabant, propositâ veró libertate negabant. Sic quando experientiam & probationem rei proponimus, quam affirmamus; ubi enim expertus fuerit, confitebitur ita esse, uti diximus; & propterea huiusmodi experientia quædam confessio videtur. Sic denique *jusjurandum*, id est, religiosa rei affirmatio testimonium fuerit. testi enim juranti, propter numen divinum quod invocatur, creditur: Sic Æneas 6. Æneidos, juramento arguit, se invitum Carthagine excessisse.

*Per superos, & si qua fides tellure sub ima est,
Invitus regina tuo de littore cessi.*


Testimonium itaque huiusmodi est, quod cum testato recipitur, sed impari arguendi vi: non enim veritas testati á teste, sed veritas testis á testato dependet. Ut tum intelligamus verum testimonium, cum ita, ut res est, testis pronunciat; sin minus, falsum: unde Ramus pulchré: *Oratio vera non facit rei veritatem, sed rei veritas orationem veram facit.*

Haecenus de argumentorum, id est, rerum singularum cum aliis collatarum affectione & natura. Ubi illud observandum, rem quamvis posse cuiusvis argumenti speciem præ se ferre, pro diversitate rerum cum quibus confertur: ut, exemplum sit

ipsa Dialectica:



Dialectica



Dialectica confer-
tur cum

inventoribus
praeceptis
disserendo

animo
ente & non ente
Rhetorica
ἀλογία
sole
ratione
διαλέγεσθαι
dialectico
inventione &
judicio
arte bene disse-
rendi

tanquam

effectum
materiatum
formatum
vel finitum
adjunctum
subjectum
disparatum
contrarium

par
simile

nomen
conjugatum
totum

definitum

cum

caussa.
materia.
forma,
fine.
subjecto.
adjuncto.
disparato.
contrario.

pari.
simili.
notatione.
conjugato.
partibus.

definitione, &
ita vicissim.

3



RUDOLPHI SNELLI
 VETERAQUINATIS
 COMMENTATIONUM
 DIALECTICARUM

LIBER SECUNDUS.

ADhuc prima Dialecticæ artis pars fuit in Inventione simplicissimâ, ubi de argumentis extra dispositionem consideratis: pars altera de Judicio sequitur, ubi primùm labor erit duplicatus in axioma, argumentorum binorum; in Syllogismo triplicatus, argumentorum ternorum; in Methodo denique multiplicatus. Multiplicia enim axiomata é variis argumentis constantia, simul jungentur & collocabuntur; quapropter hîc quasi Syntaxis quædam argumentorum est. Non secus enim ac Syntaxis Grammatica voces certo flexionis sine disponit: ita etiam certo antecessionis & consecutionis ordine res & argumenta disponuntur.

Definitur autem *Judicium* (in quo teste Cicerone in *Topicis*, Stoici maximé elaboraverunt: *Judicandi*, inquit, *vias diligenter persecuti sunt: Inveniendi veró artem, qua Topice dicitur, qua ad usum prior erat, & ordine naturæ certé prior, totam reliquerunt*) pars secunda *Logica de disponendis argumentis ad bené judicandum*. Ubi *Judicii* totum, forma & finis, artificiosé sunt comprehensa. Totum est integrum, quod scilicet ab Inventione & Judicio, tanquam membris integratur & constituitur, (*Dialectica*, scilicet.) Forma veró, per quam id est, quod est, & ab Inventione discriminatur, est argumentorum dispositio, cum illa sit eorundem inventio, & excogitatio affectionum & qualitatuum rerum. Finis denique, ad quem tanquam scopum dispositio dirigitur & aspirat, est rectum de rebus dispositis *judicium*, sive illud *axiomaticum*, sive *syllogisticum*, sive *methodicum*.

Primum

Primum axiomata judicat esse vera aut falsa; *secundum* quæstionem ex antecedentibus necessarió consequi; *tertium* de longiore axiomatum serie, sintne ordinatæ an confusé disposita.

Varia autem hujus partis est notatio; modó enim *á forma*, modó *á fine*, modó *per antiphrasin*, id est, *á contrario*, formæ adversé opposito, nomen sortitur.

A forma appellatur dispositio, compositio, positio, collocatio, Græcis *ἔσις*, *διάθεσις*, *γένεσις*, quód res inventas componit, disponit & collocat. A fine *κρίσις*, *κρίτη*, iudicium, judiciaria: omnia enim collocantur, ut aliquando rectum feratur iudicium. Per antiphrasin denique analysis & resolutio; vel quód minimé res dissolvat. componit enim: vel etiam quód resolvendo retexendoque veritatis, falsitatis, consequentiæ, inconsequentiæ, ordinis & confusionis iudicium exploretur, expendaturque. Certá enim dispositionis regulá unumquodque judicatur. Est & alius dispositionis usus, memoria scilicet. Mirum enim est, quantopere illa juvetur, confirmeturque, exploratá dispositione. Nam si quis per analysis retexat alicujus auctoris scriptum, ut tantum compositionis rationem investiget ac venetur, & quæ sit methodus scrutetur, is quamvis non, ut memoriæ quippiam mandet, resolvat; adeó tamen memoriæ inhærebunt illa, ut edidicisse videri possit. Nam quemadmodum is, qui per solem ambulat, non ut umbram faciat, ambulat, sed tantum recreandi animi causâ, vel ut calefiat; umbra tamen sequitur tanquam individuus comes: sic is qui resolvit, memoriâ rerum & quidem firmam perpetuó comitem habebit.

Judicium in duas distribuitur species, *axiomaticum* scilicet, & *dianoëticum*. Nam quicquid de Iudicio præcipitur, id omne ad hæc tanquam summa genera referri potest. Aut enim de singulis axiomatibus (quæ vulgó *Propositiones*, dubio & ambiguo vocabulo, cum primi syllogismi parti conveniat) sintne vera an falsa; aut de multis, consequanturne posteriora é prioribus necne, judicat; nec ullum præterea rationis iudicium

esse potest. Duæ itaque Judicii sunt species, *axiomaticum* & *dianoëticum*: illud enunciationis est, hoc commentationis.

AXIOMA est dispositio argumenti cum argumento, qua esse aliquid aut non esse judicatur; simplicissimum scilicet rationis judicium, quando scilicet enunciato aut axiomati fidem adhibet, ita esse, aut ita non esse. Ut hinc sit mentis simplicissima νόσις & intelligentia, cujus doctrinæ, ut testis est Diogenes Laërtius 2. lib. de vitis philosophorum, auctor est Clinomachus Thurius. Axiomatis definitio primùm genere, hinc formæ & finis adumbratione comprehenditur. Genus est dispositio. Forma, in binis argumentis, in quibus disponendis axiomatica doctrina occupatur exerceturque. Prius, quod in collocatione antecedit loco priore, *antecedens*, vulgò *subjectum*: posterius verò, quod consequatur, *consequens*, vulgò *predicatum* appellatur: ut, *fortes fortuna adjuvat*; *fortuna*, antecedens; *fortes adjuvat*, consequens fuerit. Finis denique est judicium, rem aut esse aut non esse, id est, rem verè, falsève affirmari negativè. Bis binæ itaque axiomatis affectiones intelliguntur; priores sunt affirmatio & negatio: posteriores veritas & falsitas. Naturæ enim ordine illæ præcedunt, hæ consequuntur. Ut tum demum aliquid esse aut non esse judicemus, ubi prius aliquid negatum affirmatumve fuerit.

Axiomatis vocabulo uti tandem placuit Ramo, (etiã si Cicero illud in fato, modò *enunciatum*, modò *enunciationem*, 1. Tuscul. modò *pronunciatum*, modò *pronunciationem*, 4. Academ. *effatum* interpretetur) quod illud magis vim agitationemque mentis, sive νόσις & intelligentiam exprimat; hæc verò magis sint externa & Grammatica symbola oris, quàm interioris & logicæ rationis, ut voces ipsæ indicant, ab enunciando, pronunciendo, effando deductæ derivatæque. Intellige itaq; quia Dialectica mentis & animi sit ars, illa verò latina vocabula oris exprimat; non bene significatas res illis exprimi; cùm multa in mente axiomata concipiuntur,
quæ

quæ ore minimè pronunciantur: ut itaque generali rei generale esset vocabulum, axioma tantùm à Ramo esse appellatum.

Sed ad communes axiomatum tam simplicium, quàm compositorum affectiones revertamur, & primùm quidem omnium ad affirmationem & negationem. Sunt autem affirmatio & negatio singulorum; inde verò nata contradictio binorum axiomatum communis.

*Axioma itaque ex adjunctis distribuitur in affirmatum & negatum. Affirmatum axioma est, quando vinculum affirmatur: negatum, quando negatur. Est itaque horum forma in ipsis vinculis, quæ modò partes connectunt, conjungunt & componunt affirmando; modò verò easdem disjungunt & segregant negando. Ut affirmatio nihil sit aliud, quàm partium, antecedentis scilicet & consequentis, synthesis & compositio; negatio verò diæresis & dissolutio: affirmando enim illas componimus, negando verò dissolvimus. Vinculum autem est modò verbum, ut in axiomatibus simplicibus, modò conjunctio, ut in compositis. Dicitur autem negari vinculum, cum negatio præcedit; ut ita consequens ab antecedente removeri intelligamus: si consequitur, affirmaverit: ut, *Homo est non bestia, si homo est rationalis, est non bestia*; affirmata sunt axiomata affirmatis vinculis. *Homo non est bestia. nam si homo est rationalis, non est bestia*; negata, utpote negatis vinculis. Ex his contradictio axiomatum nascitur, quando idem axioma affirmatur & negatur, vel quando idem consequens de eodem antecedente & affirmatur & negatur: ut, *homo est rationalis, homo non est rationalis*, idem consequens *rationale* affirmatur & negatur de eodem antecedente *homo*.*

At, inquires: nonne contradicentium axiomatum doctrina prorsus eadem est cum argumentis contradicentibus, cum utraque idem affirmant & negent de eodem? At, inquam, genere etsi conveniunt, specie tamen rerum subjectarum, de quibus affirmatur & negatur, dissentiunt. Argumentum enim contradictionis negat ubique, id est, de re quavis negat illud, quod erat affir-

matum; ut, *homo, non homo*, illud affirmat, hoc veró negat ubique, id est, omnia illa quæ non sunt homo: Axiomatatum veró contradictio, negat de certo aliquo subiecto, quod affirmatum erat: ut, *homo est bestia, homo non est bestia*; hinc *non bestia* negatur tantum de homine, de quo illic affirmabatur. Huc accedit, quód Topica argumentorum contradictio esse possit, etiamsi non sit axiomatatica: ut, *homo est bestia, homo est non bestia*. Topica est contradictio, *bestia, non bestia*. Axiomatatica veró non item, utrunque enim affirmat affirmato utrobique vinculo. Si veró sit axiomatatica, topica non esse non potest: ut, *homo est bestia, homo non est bestia*, hinc in integris axiomatibus est axiomatatica: in *est veró & non est* Topica contradictio. Usus autem contradictionis permagnus est inter disserendum. Necessè enim est, ut contradicentem sententiam adversario opponamus: si enim eandem aliis verbis in medium producimus, ridiculum fuerit, nisi aut omnino aut ex parte contradicamus.

Altera axiomatis distributio, itidem ex adjunctis, est *in verum & falsum*, quæ fructum hujus iudicii continet; cuius dispositio eó spectat, ut verum & falsum dijudicentur.

Observe interim Stoicos, quos in hac parte, neglecta priore, diligenter versatos ex Cicerone probavimus, hinc Dialecticam veri & falsi quasi disceptatricem & iudicem definivisse. quam definitionem Cicero, utpote qui Diodorum Stoicum multos annos domi suæ habuit, & quem á puero audivit, quem admiratus est & dilexit, ut ipse inquit Academica quarta, sæpius repetit, sed stricté nimis; cum veritas & falsitas Axiomati tantum, non toti Dialecticæ conveniant.

Verum porró definitur, *quando pronunciat uti res est; falsum contra*. Ut intelligamus, veri axiomatis formam esse in axiomatis pronunciantis, & rei de qua pronunciatatur convenientia & consensu; contra falsi in eorundem disensione & lite, cum scilicet aliter pronunciatatur quam sit res: ut, *fide justificatus est Abraham*, verum esse intelligimus, ob consensum axiomatis & rei pronunciatæ.

Operi-

Operibus justificatus est Abraham, falsum est axioma, ob eorundem disensionem.

Verum quandoquidem alia mutabiliter, alia immutabiliter sunt vera, *axioma verum* bipartito distribuitur, in *contingens* sive *fortuitum*, & *necessarium*. Illius iudicium, quia veritas est dubia, *Opinio*: hujus vero, quia certa & immutabilis, *Scientia* appellatur.

Contingens verum est, quod sic est affectum, ut aliquando falsum esse possit, id est, quod mutabiliter verum est, hodie scilicet, cras vero falsum. Unde intelligimus, consequens sic esse erga antecedens affectum, ut casu disjungi conjungi que possit; cuiusmodi sunt, quæcunque in humanis rebus in utramque partem evenire possunt: ut, *fortes creantur fortibus*; fac enim illud verum esse nunc, alio tempore fuerit falsum, ut etiam in proverbium abierit: *Heroum filii noxa*. sæpe enim a parentibus degenerant. Quapropter veritatis hujus contingentis iudicium *opinio* dicitur, id est, languida quædam assensio; non enim firmiter, sed languide & dubia mente assentimur. qua quidem sapienti nihil turpius putabant, ut passim apud Ciceronem: vel certa quidem cognitio, sed non digna nomine scientiæ, quæ & rei subjectæ & animi, in quo est, ratione est ἀμετάλητος. Potest enim hoc opinionis iudicium certum esse de præteritis & præsentibus, de futuris vero non item.

At, inquires, opinio de præteritis, & quidem iis quæ aliter jam evenire non possunt, quomodo dicitur? Etiam si, inquam, illa jam evenerunt, nec aliter evenire possunt, fuit tamen tempus cum non fuerint, cumque aliter evenire potuerint, & antequam evenirent, nulli certa esse per naturam potuerunt: ut, *Paris rapuit Helenam*, *Cæsar superavit Pompejum*, hæc inquam quamvis ita jam facta sint, ut infecta reddi non possint, antequam tamen evenirent, nulli certa esse potuerunt. Quapropter huiusmodi axiomatum iudicium etiam opinio fuerit; ut Martialis merito Priscum cavilietur, de futuris inquirentem, ejusque curiositatem reposita pari questione arguat:

Sape, inquit, rogare soles, qualis sim, Prisce, futurum,

Si fiam locuples, simq; repente potens?

Quenquam posse putas mores narrare futuros?

Dic mihi, si fias tu leo, qualis eris?

quasi dicat: Futuri contingentis non est certa cognitio: tua quæstio est de futuro contingente; ergo certa eius non est cognitio.

Necessarium axioma est, quod immutabiliter est verum, nec aliter se habere potest, cuiusmodi sunt, ubi essentialia causæ de essentialibus effectis enunciantur, vel propriæ affectiones de propriis subjectis, opposita negantur de oppositis, distributio de distributo, definitio denique de definito enunciat: ut, homo est rationalis, ridet, constat corpore & anima, est animal rationale, non est bestia.

Judicium autem necessarii, scientia est: non enim ita fuisse, esse, aut fore opinamur, sed certo statuimus; fallere enim non possunt, in quibus consequens de antecedente enunciat. Ut ita intelligamus, consequens non solum omni, sed semper antecedenti convenire. Contra autem in impossibilibus, ubi affirmata & negata perpetuo aliter se habent, nec consequens ulli parti, nedum toti antecedenti, aut ullo tempore conveniat, ut cum negamus absolute consentanea, vel affirmamus dissentanea: ut, homo non est rationalis, homo est bestia.

Si necessarium est affirmatum, dicitur $\chi\tau\iota$ παντός, sive de omni: consequens enim, ut jam meminimus, de omni antecedente enunciat: ut, rationis participem esse, de omni homine & singulis. Alio etiam nomine ob adjunctam necessariam veritatem, veritatis lex appellatur.

Si præter veritatem antecedentis & consequentis accedit cognatio & homogenia, appellabitur $\chi\theta'$ αὐτῶ (per se) quasi dicas, de ipso, sive se; partes enim cognatæ & homogeneæ sunt. Dicitur præterea lex justitiæ, quasi suum cuique tribuens, nec aliena enuncians.

Si denique accedit reciprocatio, id est, si consequens nec strictius nec laxius est, quam antecedens, & utrunq;

cum

cum altero reciprocari potest, est καθόλου πρῶτον. Dicitur etiam *lex sapientia*; tum enim sapere & scire rem ipsam dicimur, cum illud quod generale est, generaliter cognoscimus, speciale verò specialiter.

Sed singulas leges fusiùs aliquanto explicemus, quòd harum maximus sit usus in artibus constituendis; quæ legitimè si tradantur, nullam admittunt præceptionem, nisi hisce conformatam, id est, nisi sit necessariò vera, homogenea & reciproca.

Lex καὶ παντός, vult omnia præcepta esse necessaria; at non hoc tantum, verum etiam affirmatè necessaria; non negatè. hæc enim non sunt καὶ παντός. Intelligimus itaque omnium artium regulas & præceptiones æternas esse, immutabiles, minimeq; caducas, & propterea de individuis, hoc est, rebus singulis nihil præcipere; quòd caduca sint, corruptibilia & mortalia; de quibus si ulla esset in arte præceptio, subinde esset mutanda, quia individua mutantur: ut, si Physica de singulis præciperet hominibus, illis mortuis, mutanda esset; sed tantum præcipit de homine, esse scilicet eum animal rationale. quæ definitio æterna & perpetua est, quamvis singuli interim homines sint caduci & mortales.

At excipies: Astrologiam de individuis, hoc est, stellis singulis, Sole, Lunâ, Mercurio, Venere, &c. præcepta tradere, & propterea artem aliquam in individuis occupari. At, inquam, quia cælestia constantia, æterna & immutabilia sunt, de illis præceptiones constantes, æternas & perpetuas esse, non secus atque ipsa de quibus præcipiunt: ut, quia sol idem est qui fuit & semper erit, suosque cursus constantes & ratos habet, præcepta de eo etiam esse æterna.

Notatu interim dignum est, artes ab individuis sumsisse sua initia, nullam tamen de individuis præceptiones tradere, exceptâ unicâ, ut meminimus, Astrologiâ, ob ipsorum naturam corruptioni subjectam & obnoxiam.

Instrumenta autem, ut & hoc breviter admoneamus, quibus primùm artes deprehensæ sunt, sunt sen-

sus; hinc etiam illud: nihil esse in intellectu, quin antequam fuerit in sensu. Sensus enim viæ sunt ad mentem: ut, si artis vel alterius rei in mente est cognitio, illam per aures vel oculos ad mentem penetrasse necesse est, Excipias interim notiones illas sive anticipationes (vulgus vocat principia nobiscum nata) quas à natura informatas & anticipatas habemus, cujusmodi sunt: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Totum majus est quâlibet sua parte.* Alterum, experientia; primi enim artium inventores experti sunt illa, quæ in artibus posuerunt. Sic Physicus in magnete deprehendit & expertus est vim ferri trahendi: hinc illud Platonis: *Experientia artem, inexperientia temeritatem genuit*; quod Plato ante omnia gymnasia inscribi optavit. Tertium, observatio eorum, quæ deprehenderant. Quartum denique, inductio, id est, omnium vel saltem plurimorum individuorum in unum locum collectio; unde postea generale theorema sive regulam constituerunt: ut, Physicus, cum deprehendisset, hunc, illum, tertium & ita deinceps magnetem ferrum ad se trahere, tandem inductione, id est, multorum magnetum collectione, generale theorema, quod esset $\chi\tau\iota$ $\pi\alpha\upsilon\tau\omicron\varsigma$, id est, de omni magnete, constituit: *magnes trahit ferrum.*

At, inquires, quomodo Grammatica, materia adeo refractaria, huic legi conformari poterit? nam etiam si regula sive axioma huic conveniat voci, illi non convenierit: ut, in *Us finita secunda*, ut loquuntur, *declinationis masculina sunt*; hoc inquam, quamvis conveniat multis, tamen etiam multæ sunt voces, quibus convenire minime possit: ut, *colus, humus*, & si quæ sunt similes. At, inquam, anomalia, id est, exceptio à regula, analogiæ conjuncta, id est, regulæ statim subjecta, legi $\chi\tau\iota$ $\pi\alpha\upsilon\tau\omicron\varsigma$ satisfacit; & ita non minus grammatica huic legi conformatur, quàm aliæ artes.

Secunda est, $\kappa\alpha\theta'$ $\alpha\upsilon\tau\omicron$, artium limites & terminos distinguens & regens, utpote quæ cuique sua tribuit præcepta. quapropter etiam justitiæ lex appellabitur, quæ
non

non tantum præcepta esse necessarió & affirmatè vera, verum etiam homogenea jubet, id est, essentialia, congenita, cognata, & quasi unius corporis membra. Vetat itaque, diversarum artium præceptiones commisceri, confundi, sed heterogenea jubet distingui separarique: non secus atque videmus in animalibus cervum cervina, equum equina habere membra, non autem equum cervina, aut contrá, cervum equina.

At, inquires, quæ dicis homogenea sive cognata præcepta? Quæ, inquam, in unum eundemque finem tendunt & adspirant. Sic cognata præcepta in Rhetorica dicuntur, quæ adspirant ad orationum ornatum, in Grammatica ad orationis puritatem, in Dialectica ad rationis legitimum usum, in Ethica ad convenientem naturæ vitam; unde illa esse heterogenea facile colligimus, quæ ad diversos fines adspirant. Quapropter Rhetorica Dialecticis omniumque aliarum artium præceptis heterogenea fuerint, ob finem scilicet diversum illis propositum. Unde facile constat, illa ex artibus esse tollenda, quæ eó ex aliis rebus sunt translata; ne sint similes Horatianæ illi tabulæ, de qua hoc pacto in arte suâ poetica.

Humano capiti cervicem pictor equinam

Jungere si velit & varias inducere plumas, &c.

Et pauló post:

Denique sit quodvis simplex dumtaxat & unum.

Sed exemplis aliquot hanc legem illustremus: Dialectica vulgò tradit de substantia, quantitate, qualitate, &c. item de oratione, de sophisticis Elenchis, ut hîc simile quippiam videamus Horatianæ illi tabulæ; non enim hæc conspirant in eundem cum Dialectica finem, sed in alios & diversos, quemadmodum ex aliis & diversis artibus sunt collectæ. Veniat itaque ad hujus justitiæ legis tribunal primùm Physica, suam de substantiis, id est, naturis doctrinam repetitum, deinde & qualitatis prædicamentum, quod hæc naturales rerum vires & facultates contineat; nihil autem hîc sit logicum: Veniat & Mathesis suam de quantitibus, id est, numeris & magnitudinibus

doctrinam postulatum, & cum Dialectica expoſtulet, ſua bona ab illa eſſe occupata, tanquam propria & homogenea, cum ſint heterogenea: Accedat Ethica ſuas virtutes & vitia á qualitate ablatura: hinc Grammatica ſua præcepta repetat de oratione, nomine & verbo. Dialectica ſané hiſce privabitur. ſentiet enim nihil ſe habere hinc proprium, ſed omnia eſſe aliena: eadem lege & ſophiſticis Elenchis, id eſt, fallaciis & captioſis ſyllogiſmis ſpoliabitur, quod falſum vero ſit heterogeneum, & ex cognitis virtutibus vitia cognoſcantur: ut, qui novit, quomodo ſit diſcerendum, idem quoque, quomodo non ſit diſcerendum, intelliget. Dialectica viciffim cum Phyſica & Rhetorica expoſtulat, quod temporis, loci & motus doctrinam Phyſica ſibi uſurpet; cum Dialectica ſit, id eſt, Entis & non Entis communis, non autem Phyſicarum rerum propria: á Rhetorica veró inventionem, diſpoſitionem & memoriam, quod rationis ſint & mentis officia, repetet.

At, inquires, artes communi cognationis vinculo contineri, & propterea eſſe conjunctas: At, inquam, non quia in uſu conjunguntur, propterea etiam conjunctim docenda & diſcenda eſſe earum præcepta, ſed diſtincte, ut eó citius percipiantur cognoſcanturque: ut, Etymologia ſeparata eſt á Syntaxi, & viciffim Syntaxis ab Etymologia; nec ullus unquam has partes Grammaticæ confudit tradendo: at inter loquendum conjunguntur: Sic etiam artes omnes ſeparatim & diſtincte docentur & cognoſcuntur, in uſu veró conjunguntur: ut, cum Cicero Romæ in foro cauſas ageret ſuorum clientum, primúm é Jure quæſtiones illi ſuppeditabantur, quas arte Dialecticâ tractabat, inveniendó ſcilicet & diſponendo; hinc accedebat Grammatica, quæ puro ſermone latino ea ipſa, quæ Dialectica invenerat & diſpoſuerat, eloquebatur; denique Rhetorica omnia illa tropis & figuris, voce & geſtu ornabat; ut hinc Juris ſcientiam, Dialecticam, Grammaticam, Rhetoricam conjunctas videamus: ipſe autem puer ſeorſim ac ſeparatim á ſuis magiſtris ſingulas

gulas acceperat. Sint itaque de sententia hujus legis præcepta artium, non tantum necessario & affirmative vera, verum etiam essentialia & homogenea.

Tertia denique lex καθόλου πρῶτον, est omnium longe gravissima & sanctissima, quæ non solum exigit, ut præcepta sint necessario & affirmative vera, neque tantum ut sint homogenea & essentialia, verum etiam ut ita sint constituta, ut vicissim retrorsum commeent ac reciprocantur, id est, ne antecedens consequente aut laxius, aut constrictius sit & arctius; hinc enim consequitur, nullam esse reciprocationem. Virtus itaque hujus legis est reciprocatio, vitium verò Tautologia, quam tanquam pestem fugiendam esse, præcipit.

In artibus igitur generalia generaliter, & tantum semel doceantur, postea verò in speciebus intelligantur. In hoc vitium impegerunt Grammatici, cum in singulis partibus declinabilibus, ut loquuntur, doctrinam repetunt de numero; in omnibus autem tam declinabilibus quam indeclinabilibus, de specie & figura; quæ tamen sunt omnium vocum communes affectiones: Similiter Dialectici doctrinam de genere, de forma, specie, & adjunctis propriis & communibus, in prædicabilibus & inventionem; doctrinam de relatis & effectis, in prædicamentis & inventionem; cum generalis & una doctrina suffecisset.

At dixeris, repetitionem & tautologiam hujusmodi esse utilem, imò necessariam, quò res repetitæ altius penetrent in discipulorum animos. Permagna quidem, inquam, laus & utilitas, imò necessitas est repetitionis, sed non in præceptis. Verum si in docendo magister idem sæpius inculcat & iterat; discipulus verò e magistro audita sedulo secum ruminat & repetit, hæc, inquam, repetitio non tantum utilis, verum etiam necessaria est: præceptorum verò tautologia stulta est & putida; discipulorum enim studia, magno cum temporis detrimento remoratur, & ingenium præterea confundit. putat enim is qui discit, aliam esse doctri-

nam, cum prorsus sit una eademque, vel iisdem, vel commutatis verbis repetita: ut, Grammaticus primum videt numerorum, specierum & figurarum doctrinam in Nomine, hinc in Pronomine, deinde in Verbo, postea etiam in Participio; quadruplicem esse doctrinam autumat, cum simplex sit & una.

Ut tautologiæ magna est & summa inutilitas & detrimentum: ita vicissim reciprocationis summus usus est & fructus; hujus enim beneficio artes omnes decuplo sunt breviores, præcis scilicet illis tautologiis, cum nihil nisi suo dicatur loco, & quidem semel. Esto itaque præceptum quodvis reciprocum.

At, inquires, si præcepta quævis debent esse reciproca, ex quibus constabunt argumentis? At, inquam, satis hoc jam constat ex inventione, artes continua serie constare definitionibus & divisionibus, quod hæc sint reciproca, definitio cum definito, & distributio cum distributo, & uspiam si opus fuerit, ex adjunctis propriis. hæc enim cum suis subjectis vicissim retrò commeant: ut, homo cum ridendi facultate, & vicissim ridendi facultas cum homine.

Sed hæc hæctenus de necessario axioma & ejus qualitatibus, cujus iudicium appellatur scientia; quia cum rerum causas nobis aperiat, cujusmodi continentur definitionibus & divisionibus, quæ sunt immutabiles, nec aliter se habere possunt, scire nos faciunt, & propterea scientia hujus est iudicium.

Huc usque de axiomatis affectionibus & qualitatibus; sequitur deinceps, ut de singulis tradamus speciebus. Sunt autem species duæ; *aliud enim axioma simplex est: aliud verò compositum*; illud vulgò propositio categorica, hoc verò hypothetica dicitur: quæ vocabula P. Ramus justis de causis commutavit, quod scilicet enunciandi rationem non exprimant; & meliora assumpsit, significantioraque, ex ipsa scilicet enunciandi natura & ratione. Aliàs enim simpliciter unam aliquam rem & sententiam enunciamus; & est axioma simplex; aliàs verò sententias multiplices & varias conjunctione con-
vinctas; & axioma est compositum.

Simplex

Simplex axioma est, quod verbi vinculo continetur; ut ita ejus forma sit in vi verbi partes connectentis. Verbi autem vocabulo ne intelligas ore prolatam vocem, sed etiam mente conceptam. Nam Dialectica mentis & rationis ars est. Ut verbum hic sit res, quæ significetur verbo, id est, voce numeri cum tempore & persona: ut, *ignis urit*, simplex axioma fuerit, quod vinculum, id est, vis illa antecedens & consequens jungendi, in verbo lateat. Unde intelligimus, si simplex axioma est negandum, verbum esse negandum; ut ita soluto vinculo diæresin partium intelligamus, id est, consequens separari ab antecedente: sin minus, affirmatum intelligetur: ut, *fortes creantur fortibus*; quia affirmatur verbum, affirmatum est axioma: item, *fortes creantur non fortibus*, itidem affirmat, affirmato scilicet vinculo. At, *fortes non creantur fortibus*, negat, negato scilicet vinculo.

Est autem simplex hæc axiomatica dispositio, omnium simplicissima, & quasi totius iudicii prima, ex qua reliqua dispositio omnis, tanquam ex primo fonte derivatur deduciturque. Composita enim axiomata, ex multis simplicibus sunt connexa. Huc accedit, quod syllogismi & methodus tota tanquam fundamento huic innitatur; ut hæc sit prima illa mentis agitatio, qua res duas jam inventas & excogitatas componit: ut, causam cum effecto: *Deus fecit mundum*: subjectum cum adjuncto: ut, *Deus est misericors*: dissentaneum cum dissentaneo: ut, *Deus non est creatura*: comparatum cum comparato: ut, *Deus est omnium justissimus*: conjugatum cum conjugato: ut, *Deus est divinus*: notatio cum nomine: ut, *Jupiter quasi iuvans pater appellatur*. *Ceres quasi aristas gerens*: definitio cum definito: ut, *homo est animal rationale*: testimonium cum testato: ut, *gloria hominis est quasi flos agri*, inquit Esaias.

Memineris interim, plenas comparationes, ut nec distributiones simpliciter enunciari posse, sed tantum compositè, quod partes alio, quam verbi vinculo vinciantur, connectanturque: ut,

ut fulvum spectatur in ignibus aurum,

Tempore sic duro est inspicienda fides.

Item, *Catullus tantò pessimus est omnium poëta, quan-*

tó omnium optimus patronus est Cicero. Similiter, homo constat corpore & anima. Animal est bestia aut homo: in his enim multiplex sententia convincitur, connectiturque.

Enunciantur itaque omnia argumenta, præter plenas comparationes & distributiones omnes, simpliciter: consentanea quidem affirmando: dissentanea veró negando. Ut hinc etiam colligere liceat, quæ argumenta sint consentanea, illa scilicet, quæ affirmantur veré; quæ quoque sint dissentanea, quæ negantur veré; ut ita consensionis & disensionis indices affirmatio & negatio sint: ut, quia falsó enunciatur affirmando, ovem esse lupum, intelligitur disensio inter lupum & ovem esse, & propterea argumenta esse dissentanea; & quia veré affirmas, lupum ululare, intelligitur consensio, & propterea, lupum esse & ululare, argumenta esse consentanea.

Et hæc quidem hætenus. Sequitur deinceps *simplicis axiomatis διχοτομία in generale, & speciale*; aliàs enim consequens generaliter attribuitur antecedenti, id est, omni antecedenti, ut quadret ad $\chi\tau\iota$ παντός: aliàs veró non toti, sed ex parte: illud generale appellatur, hoc speciale; non quód notas habeant adjunctas sive signa, ut vulgus autumat, ex quibus generalitas & specialitas intelligi potest, ut sunt, *omnis, nullus, quidam, aliquis*; sed quód affectio consequentis erga antecedens, toti antecedenti communis sit, aut saltem ex parte. Nam multa alioquin axiomata absque notis & signis efferuntur, quæ tamen aut generalia, aut specialia esse cognoscuntur ex illa, quam diximus, partium affectione.

Est itaque hoc inter Ramum & alios discriminis, quód illi generalitatem & specialitatem metiantur ex Grammaticis vocabulis. Generale enim esse ajunt, quod habet signum generale additum: ut, *omnis homo est rationalis, nullus homo est bestia*. Speciale, quod additam habet notam specialem: ut, *quidam homo est bonus, quidam homo est malus*. quæ veró nullam habent, indefinita appellant: ut, *homo*

ut, *homo est rationalis, homo est malus*. At Ramo ex affectione consequentis erga antecedens, si scilicet consequens attribui potest toti antecedenti, ut nihil sit sub antecedente comprehensum, cui consequens non conveniat, generale est, etiam si nota generalitatis sit nulla: ut, *homo est rationalis, homo non est bestia*. Si veró consequens non toti antecedenti, verum ex parte tantum conveniat, id est, si aliquid sub antecedente est comprehensum, cui consequens attribui non potest, speciale fuerit: ut, *homo est bonus, homo est malus*, specialia sunt; bonum enim esse, non potest attribui universo hominum generi, cum mali sint non pauci; ut nec malum esse, cum multi sint boni. Memineris, generalitatis & specialitatis affectiones simplicium axiomatum tantum esse communes. in compositis enim hujusmodi nihil consideratur, sed tantum conjunctionis ratio habetur.

Generale definitur (ut revertamur ad singulas species) quando consequens commune attribuitur generaliter communi antecedenti. Dicitur autem commune antecedens, quod sub se multas habet species, ut commune consequens quod de hujusmodi communi antecedente potest dici: ut, *homo est rationalis*; *Homo* commune fuerit antecedens. de multis enim singularibus, quæ individua appellantur, dici potest, ut sunt homines singuli; *Rationalis* commune consequens, quia toti hominum generi convenit. Hic contradictio non semper dividit verum & falsum; fieri enim potest, ut utrumque axioma falsum sit; ut autem verum, nequaquam. Falsa autem contradicentia generalia tunc fuerint, cum sunt contingentia: ut,

Omnis in urbe locus Baijs pralucet amœnis. &
Nullus in urbe locus Baijs pralucet amœnis.

Itē, *Omnia poma flava sunt & amara: & nulla poma flava sunt & amara. Omnes homines justificantur; & nulli homines justificantur*; quia contingentia sunt, utraq; contradictionis pars est falsa. Est præterea quando utrunq; generale falsum esse potest in materia non contingenti, sed impossibili: ut, *omne animal est rationale, nullum animal est rationale*; illud falsum est, quia bestia non est rationalis,

hoc veró, quia homo est rationalis. Tum veró contradic-
tio necessarió verum & falsum dividit, quando affirma-
tum est *κατὰ παντός*, tum enim illud est verum; quod au-
tem contradicit negando, est falsum: ut, *omnis Dialectica
est ars bené disferendi, &, nulla Dialectica est ars bené disfe-
rendi. Omnis homo est animal rationale, &, nullus homo est
animal rationale*: híc alterum est necessarium, alterum
impossibile.

*Speciale axioma simplex est, quando consequens non o-
mni antecedenti attribuitur, sed tantúm ex parte: ut, qua-
dam virtus propugnatrix est justitiæ. Quadam ars docet be-
né disferere. Quidam homines virtutis sunt studiosi*; híc con-
sequentia argumenta, ut sunt, propugnatricem esse ju-
stitiæ, artem esse bené disferendi, studiosum esse virtutis,
tribuuntur quidem antecedentibus, ut sunt virtus, ars,
homo; verum non totis, sed ex parte. Specialia itaque ar-
gumenta fuerint.

Contradicendi ratio ita híc est comparata, ut perpe-
tuó verum á falso dividat; si enim unum fuerit verum,
alterum non potest non esse falsum; ut híc quædam ne-
cessitas contradictionis appareat & acerrima pugna.

Contradictio specialium argumentorum vulgó di-
cuntur contradictoria, ut cum generale contradicit spe-
ciali: *Nihil est ignoscendum, aliquid est ignoscendum. Nihil
gratia causâ feceris, aliquid gratia causâ feceris. Nunquam
est irascendum, aliquando est irascendum*. vel cum propriú
contradicit proprio: ut, *Fabulla est bella puella, dives: Fa-
bulla non est bella puella, dives*. Axiomata autem generalia
contradicentia contraria vocant.

*Speciale deinde axioma bipartitó distribuitur, in par-
ticulare, & proprium.*

*Particulare est, quando consequens commune particu-
lariter antecedenti tribuitur. Dicitur autem illud par-
ticulariter tribui, quod prædicatur sive dicitur de ante-
cedente quidem communi, hoc est, quod laté patet &
multa sub se complectitur, sed non toti, verum ex parte:
ut, quidam Poëta suis carminibus perierunt*; híc poëta
commune quidem est antecedens, sed consequens suis
perire

perire carminibus, non tribuitur universo poetarum generi, sed quibusdam tantum, Ovidio scilicet & aliis. Contradictio hic fuerit, si particulari contradicit generale: ut, *quidam Poeta suis perierunt carminibus*, & *nullo Poeta suis perierunt carminibus*. Si vero particulari opponas particulare, contradictio non fuerit, utrunque enim verum esse potest; quod contradictionis natura minimè fert: ut, *quidam Poeta suis perierunt carminibus*, & *quidam Poeta non perierunt suis carminibus*; quantumvis vulgò existiment hic esse contradictionem, quam appellant subcontrariam, quod scilicet in schemate, in quo illi contradictionis tabulam depingere solent, sub contrariis collocetur.

Ad extremum proprium superest, quando scilicet consequens antecedenti proprio attribuitur. Est autem proprium antecedens, quod est, ut loquuntur, individuum, id est, res aliqua singularis. Sic singuli homines propria possunt esse antecedentia. Quapropter propria fuerint axiomata: *Cæsar tyrannide oppressit Rempublicam. Cicero Rempublicam à conjuratione Catilinaria conservavit. Brutus reges Romæ expulit.* quibus negatis contradictio fuerit: *Cæsar non oppressit tyrannide Rempubl. Cicero non liberavit Rempubl. à conjuratione Catilinaria. Brutus non expulit Romæ reges.* ubi similiter perpetuò verum & falsum dividuntur.

Sequitur altera axiomatis species in composito.

Est autem axioma compositum, quod vinculo conjunctionis continetur; ut hic sententia sit multiplex. Vulgò appellatur *hypotheticum*, sed vocabulo non satis apto: hypothesis enim sive conditio tantum convenit axiomatico connexo, ubi consequens ex antecedenti ex conditione dependet: ut, *si homo est leo, homo est quadrupes*; aut etiam aliquando disjuncto. Maluit igitur convenientiore vocabulo compositum appellare, à multarum sententiarum compositione, idque beneficio conjunctionis. Conjunctionis autem vocabulo ne intelligas Grammaticam illam vocem, sed mentis vim illam, etiam sine voce sententias connectentem: Dialectica enim, ut sæpius jam meminimus, non oris, sed mentis

est ars. Autor veró axiomatis compositi non quidem Aristoteles fuit, sed ejus discipuli, Theophrastus, Eudemus, & longo póst tempore Boëtius. Sed infinita huc congesterunt, nec satis etiam vera, ut suo loco pleniús, quæ Ramus præcídít, & usum in humana ratione demonstravit. Quia veró vinculum est conjunctio, illá affirmatá vel negatá affirmatur vel negatur axioma. vinculum enim est solvendum ut partes intelligantur solutæ; solvitur autem tunc, cüm negatio præponitur, non autem, ut Boëtius alicubi auctor est, postponitur: ut, *si homo est lupus, homo ululat: negatio fuerit, non si homo est lupus, homo ululat: item, homo est lupus, aut non ululat: negatio fuerit, non aut homo est lupus, aut homo non ululat: item, & homo est lupus & homo ululat: negatio fuerit, non & homo est lupus, & homo ululat: item, quanquam homo est lupus, tamen ululat: negatio fuerit, non quanquam homo est lupus, tamen ululat: vel, quanquam homo est lupus, non tamen ululat.* Contradictionisque pars altera perpetuó est vera, altera veró falsa: nunquam autem utraque falsa esse potest, quia nihil híc est generale, nihil speciale, sed tantúm conjunctionis ratio habetur, cüm contradicentia generalia in contingentibus & impossibilibus falsa esse possint, ut pauló anté.

Compositum porró axioma ratione suæ conjunctionis enunciativæ bipartitó distribuitur: aliás enim partes tanquam simul veræ colliguntur, congreganturque: aliás veró tanquam non simul veræ separantur segreganturque; illud est *congregativum*, hoc veró *segregativum*. quæ partes ut cum genere tanquam effecta cum causa consentiunt: ita inter se tanquam adversa dissentiunt.

Congregativum porró & suæ conjunctionis ratione bimembre est; aliás enim partes tanquam simul veræ absoluté congregantur, sine hypothese & conditione: aliás veró ex cōditione & hypothese consequens pendet ex antecedente: ut, *& doctus est & diligentem studiis operam impendit*, híc conjunctio (&) absoluté doctum esse & diligentem studiis operam impendisse conjungit: at, *Si doctus est, studiis diligentem impendit operam*, conjunctio (si) consequentem partem, *studiis impendisse diligentem operam*, congregat quidem

quidem & cōjungit cum antecedente *doctum esse*, sed non nisi ex conditione & hypothesi: ut illic intelligamus, partes omnes simul esse absolutē & simpliciter, hīc verō ex conditione, id est, si illud sit, etiam hoc esse. Prius dicitur axioma *copulatum*, posterius *connexum* Ramo cum Cicerone, vulgō conditionale, quōd, ut jam meminimus, consequens ex conditione dependeat ex antecedente.

Copulatum est, cujus conjunctio est copulativa, qua partes absolutē copulantur, cujusmodi sunt *ac, etiam, item, nec, quoque, que*, item compositæ atque, *itemque, neque*: ut,
*Unā Eurūsq; Notusq; ruunt, creberq; procellis
 Africus.*

Item: *Antonius, Lepidus & Augustus Ciceronem proscripserunt.*

Item: *Demosthenes in Gracia, & Roma Cicero omnium præstantissimi fuerunt oratores.*

Ubi negatio & contradictio fuerit, negatā conjunctione copulativā:

*Non unā Eurūsq; Notusq; ruunt, creberq; procellis
 Africus.*

Item, *Non Antonius, Lepidus & Augustus Ciceronem proscripserunt.* Item, *Non & Demosthenes in Gracia, & Roma Cicero præstantissimi omnium oratores fuerunt.* Ubi memineras, iudicium copulati affirmati esse, partes simul esse veras: negati verō, partes non simul esse veras, sed unam saltem, aut plures, aut omnes esse falsas, & præterea tunc esse verum, si omnes partes sunt veræ, falsum verō cum vel plures vel una: ut, *Virgilius, Bavius & Mævius præstantissimi Poëtarum Latinorum fuerunt*, falsum est copulatum, quia licet de Virgilio, non tamen de Bavio & Mævio verum est.

Ad copulatum retuleris etiam, (est enim affine) enunciatum relatæ qualitatis, ubi ipsa relatio est vinculum. Relationis autem vocabulo intelliges plenas illas comparationes, ubi notæ sunt *talis qualis*: ut,

Tale tuum carmen nobis divine poëta,

Quale sopor fessis in gramine.

Item, *tantus quantus*: ut,

Tantó pessimus omnium poëta,

Quantó tu optimus omnium patronus.

Et loci: *eó, quo, ubi, ibi, ut, Romæ vixit Cicero, ubi etiam Atticus*; in his enim iudicium est, tanquam diceret: *Sopor est gratus fessis, & sic nobis auditoribus tuum carmen. Item, Catullus est omnium pessimus poëta, & Cicero omnium optimus patronus. Item, Romæ vixit Cicero, & Atticus ibidem. Contradictio fuerit, negatâ qualitatis relatione: ut,*

Non tale tuum carmen nobis divine poëta,

Quale sopor fessis in gramine.

Item, *Non tantó pessimus omnium poëta,*

Quantó tu optimus omnium patronus.

Et, *Non ibi Romæ vixit Cicero ubi etiam degit Atticus.*

Altera species est in connexo. Est autem *connexum axioma, cuius conjunctio est connexiva*, id est, qua partes, consequens scilicet, ex antecedentis conditione connectitur: ut, *si, sin, ni, nisi*; ut ex ipsa conditione partium de forma constet, per quam & est quod est, & á copulato distinguitur, ubi absoluta est conjunctio: ut,

si miserum fortuna Sinonem

Finxit, vanum etiam mendacemq, improba finget.

Si sol ortus est, dies illuxit. Si Abraham operibus justificatus est, habet quod gloriatur, sed non apud Deum. Ubi negatio & contradictio fuerit:

non si miserum fortuna Sinonem

Finxit, vanum etiam, mendacemq, improba finget.

Item, *Non si sol ortus est, dies illuxit. Non si Abraham operibus justificatus est, habet quod gloriatur.* Interdum tamen apertius negari solet, negando scilicet consequentiam hisce voculis, *non ideo, non illicó, non continuo, non propterea, non quám primum, non é vestigio*; tunc enim intelligimus, consequens separatum esse ab antecedente: ut, *Si sol est ortus, non statim sequitur diem illuxisse.* Item, *Si Abraham fide est justificatus, non propterea habet quod gloriatur.* Sic Cicero: *Non si me in sicariorum gregem contuli, sicarius sum.* Et: *Nec continuo, si omne enunciatum est verum aut falsum, sequitur causas esse immutabiles.* Significat autem affirmatio, si sit antecedens, non posse non esse consequens, & propterea illo
posito

posito, hoc necessarió poni; negatio veró, fieri posse, ut, quanquam sit antecedens, non tamen sit consequens; ibi partium connexio est necessaria, híc veró non item, sed contingens & fortuita aut etiam impossibilis.

Verúm hætenus de affirmandi & negandi, & hinc natâ contradicendi ratione; sequitur ut deinceps de Iudicio agamus, & quidem duplici, *Scientiâ* scilicet, & *Opinione*.

Scientia tunc fuerit, cüm absoluté est verum axioma, id est, quando consequens necessarió dependet ex antecedente, etiamsi partes simpliciter & absoluté consideratæ, contingentes imó impossibiles sint, ut, *si homo est rationalis, naturâ est Dialecticus*, necessarium est axioma, quia partes necessarió cohærent: item, *si homo est asinus, homo animal est quadrupes, rudens & auritum*, itidem necessarium est axioma. consequens enim necessarió ex antecedente dependet, quamvis interim partes non solúm falsæ, verúm etiam impossibiles sint: impossibile enim est hominem esse asinum, impossibile item hominem esse quadrupedem, rudere & auritum esse. At, inquires, unde hæc partium necessitas? Ex ipsa inquam, connexionem: nam consequens, si sit antecedens, aliter se habere non potest, tantaque vis est ipsius connexionis. Et hæc quidem de primo iudicio.

Alterum est *opinio*, cüm scilicet connexio est contingens, & pro sua tantúm probabilitate ponatur.

Connexio autem contingens est illa, quæ partes ita coniungit, ut antecedens esse possit, etiamsi non sit consequens; non enim ex illo necessarió dependet, sed probabiliter & contingenter: ut, *Pamphile si id facis, hodie postremum me vides*: item, *Si Cicero conjuratos Catilinarios non necasset, non conflagret sibi tantam invidiam*: item, *Si Brutus Romanos reges non expulisset, liberis suis privatus non esset*. quia contingentia sunt, opinamur tantúm aliqua probabilitate adducti consequens ex antecedente pendere, contingenter & fortuitó; non autem necessitate aliquâ.

Connexo cognata est & consequens relatio temporis, vel cum alioquin quippiam ex altero dependens non conjunctione, sed alia quavis particulam connectitur & componitur, ut sunt particulae *cum, tum, quando*: ut,

Carmina tum melius, cum venerit ipse canemus, &

Cum Paris O Enone poterit spirare relicta,

Ad Xanthi fontes versa recurret aqua.

Item, cum Cicero sit dicendi peritus, est etiam orator. Ubi negatio & contradictio fuerit praeposita particulam negandi ante *tum* vel *cum*. hic enim vinculi vis est: ut,

Non carmina tum melius, cum venerit ipse, canemus.

Non cum Paris O Enone poterit spirare relicta,

Ad fontes Xanthi versa recurret aqua.

Item, Non cum Cicero dicendi sit peritus, est etiam orator.

ET hucusque quidem de axioma congregativo: sequitur deinceps species altera in segregativis. Sunt autem segregativa, quae partes tanquam non simul veras sejungunt & segregant, & quidem bifariam pro ratione conjunctionis segregantis. Alias enim partes sola ratione dissentientes segregantur, id est, distinguuntur, tantum quatenus non sunt simul, cum tamen simul esse possint: alias vero ita segregantur, ut ratione & re simul separentur & dissentiant: illa discreta, haec vero disjuncta appellantur, & non nisi dissentanea enunciant; haec enim sola, cum non consentiant, separantur.

Discretum axioma est, cuius conjunctio est discreta, id est, qua partes ratione tantum, non re separantur. Ratione separantur, quae cum non sunt simul in aliquo subiecto, simul tamen esse possunt: ut, quia forma & eloquentia non fuerunt conjunctae in Ulyssae, conjungi tamen potuerunt; dicuntur ratione separari. Itaque ex dissentaneis praecipue enunciat diversa: ut,

Non formosus erat, sed erat facundus Ulysses.

Item, *Hic Priamus quanquam media jam morte tenetur,*

Non tamen abstinuit.

Item, *Quamvis ego digna sim maxime qua patiar injuriam, at tu indignus qui faceres. Quanquam caret culpa, tamen non abest a suspitione.* Ubi negatio & contradictio duplex erit; aliquando enim negandi particula praepositur conjunctioni

junctioni *quanquam*, vel alteri præcedenti: aliquando etiam conjunctioni *tamen*, quæ hic potissimum est vinculum: ut, *quanquam sensu corporis voluptates judicentur, ad animum tamen referuntur*. hic negatio & contradictio fuerit. *Non quanquam voluptates sensu corporis judicentur, ad animum tamen referuntur, vel, quanquam voluptates sensu corporis judicentur, non tamen ad animum referuntur*. Ubi interim observandum de iudicio hujus axiomatis, tum scilicet verum judicari & legitimum, quando partes non solum veræ, verum etiam discretæ sunt, id est, ratione dissentientes: si verò consentiunt, falsum erit & ridiculum hoc pacto enunciandi genus.

Altera species est in *disjuncto axioma*. Est autem *disjunctum axioma* cujus conjunctio est *disjunctiva*, cujus partes conjunctione junguntur hujusmodi; ut intelligamus unam tantum partem non plures esse veras, cujusmodi sunt *aut, an, sive, ve, vel, secus*. Sic opposita enunciantur omnia, præsertim contraria medio carentia: ut, *Animal est bestia aut homo. Coniunx est maritus aut uxor. Animal videt aut cæcum est. Omnia sunt aut non sunt. Color est candor, aut nigror, aut medius*: etiam absolutè consentanea & affectiones cum propriis subjectis, verum non nisi alterum negando: ut, *aut dies est, aut sol nondum ortus est. Animal est rationale, aut non est homo. Item, Aut risus facultate est præditum, aut non est homo*. Hic significatur è disjunctis unicū tantum verum esse, quod hujusmodi quæ hic enunciantur, & ratione & re dissentiant, nec unquam uni eidemque rei simul convenire possint. Sed intelligendum de legitimis & absolutis, non de fortuitis & ineptis disjunctionibus, cujusmodi sunt: *Aut homo est aut avis. Item, aut arbor est aut stella*; ubi neutra pars potest esse vera. Negatio igitur & cōtradictio fuerit: *omnis enunciatio est vera aut falsa, & non omnis enunciatio est vera aut falsa*. Significat autem negatio, alterutrum non esse necessariò verum, sed fieri posse ut neutrum sit verum: ut cum enunciatur, *animal est homo aut bestia*, hic significatur, si qua natura est animal, eam esse aut hominem aut bestiam, id est, alterutra animalis species: cum verò enunciatur, *non omne animal est homo aut bestia*, si-

gnificatur alterum non esse necessarió, id est, aliquam naturam esse animal, quæ tamen neque bestia sit neque homo. Nam si disjunctio absoluté vera est, est etiam necessaria, partesque disjunctæ sunt oppositæ sine ullo medio. Veruntamen quamvis absoluté vera disjunctio necessaria quoque sit: tamen nihil necesse est partes separatim necessarias esse, quia disjunctionis necessitas pendet é necessaria partium oppositione & disjunctione, non ex earum necessaria veritate. Quod præceptum de absoluté vero & scientifico axiomate duas nobis proponit affectiones: Prima est disjunctionis necessitas.

Necessaria autem disjunctio est, cum alterutrum non esse non potest, ut cum partes sunt oppositæ sine medio, cujusmodi sunt, *omnis enunciatio est affirmata aut negata*, item, *omnis enunciatio est vera aut falsa*; necessaria sunt axiomata, quia veritas & falsitas, item affirmatio & negatio, contraria sunt adversa sine medio.

Altera est necessitatis efficientia in partium disjunctione & necessaria oppositione, non autem necessaria veritate, quæ necessitas potest etiam esse in partibus fortuitis & contingentibus: ut cum enunciatur, *homo est bonus aut non est bonus, homo est sanus aut non est sanus, homo est robustus aut non est robustus*, axiomata sunt necessaria, non quidem ex necessaria partium veritate, sed disjunctione, quia nihil hîc est medium, cum partes interim separatim consideratæ sint contingentes: ut, *homo est bonus, homo est sanus, homo est robustus*, item, *homo non est bonus, homo non est sanus, homo non est robustus*, non sunt enunciationes necessariae. Si veró disjungantur, propter disjunctionis necessitatem necessariae fuerint.

Est & aliud disjuncti judicium, *opinio* scilicet, ut cum partes disjunguntur ex conditione & hypothesi, cum scilicet aliquid statuitur & sumitur ex pactione aliqua, lege aut conditione, aliter quam sit sua natura,
& per

& per se esse possit: possunt enim plerunque disjunctæ partes simul esse aut etiam neutra; ut, *utrum venit Cleon an Socrates?* quia scilicet ita pactum sit alterutrum esse venturum, non utrunque, aut alium ab his: item, *ibimusne venatum aut piscatum? proficiscemurne Thebas an Athenas?* quod ita statutum sit, tantum alterutrum fore; cujusmodi disjunctiones contingentes, non absolutæ veræ, sed tantum opinabiles, frequentes admodum sunt in hominum usu & vita. Qui elegantioris illius disjunctionis sunt imperiti, hoc modo ferè disjungunt. Sic Leander apud Ovidium in Epistolis heroidum, Heronis amore captus populariter disjungit, quorum alterum tantum eventurum sperabat.

Aut mihi continget felix audacia salvo,

Aut mors solliciti finis amoris erit.

Quasi dicat, aut salvus perveniam ad Heronem amicam, aut fluctibus oppressus peribo.

Et hætenus quidem de *axiomatâ* doctrinâ totius judicii primo fundamento, cui totum dianoëticum innititur: nihil enim est in Syllogismo, nihil in methodo, nisi axiomata certo loco disponenda, ut suo deinceps tempore.

SEQUITUR porro *DIANOËTICA* doctrina, ubi major mentis est agitatio, & quasi quædam commentatio, qua propriè homo à brutis animalibus differt, cum quibus axiomatum judicium eum commune habere omnium philosophorum sententia est. nullum enim vel etiam minimum animalculum, quin hoc rationis munere instructum sit, inveneris: sic aranea hoc lumine illustrata, suas contextit telas; formica futuri provida, in hyemem frumenta reponit; canis domino abblauditur, ignotum verò allatrat. Sed dianoëtici judicii habent nihil; non enim commentari possunt, id est, dubia axiomata cum argumento tertio disponere, & inde quæstionem deducere, neque multa axiomata ordine disponere, ut ibi syllogismus, hîc verò methodus existat.

h ij

Est autem Dianoa mentis agitatio, cum aliud axioma ex alio deducitur. Quod ut rectius intelligatur, duplici exemplo opus fuerit.

Esto itaque prius huiusmodi: Potestne sapiens aliquando turbari? dubium est axioma. contingens enim & fortuitum; aliud igitur quaerendum, quod hoc illustret. Sit itaque: ratione bene uti, cum quo partes quaestionis disponendae sunt: ut,

Turbatus non bene utitur ratione.

Sapiens bene utitur ratione.

Sapiens igitur non est turbatus.

Hic dubium illud ante propositum axioma disputatum ex duobus aliis axiomatibus necessario deducitur; ut hic Dianoa appareat, id est, rationis commentatio & lux syllogistica.

Posterius sit in multis certo antecessionis & consequentionis ordine disponendis, ubi perpetuo & continua serie speciale deducitur ex generali, donec ad specialissimum perveniatur, ubi altera dianoa, mentis agitatio & lux methodica apparet.

Dianoa bifariam distribuitur, in Syllogismum, & Methodum, species scilicet oppositas, & quidem adversae. Syllogismus enim in dubiis quaestionibus rationis luce disputandis; Methodus vero in necessariis ordine disponendis occupatur, quae vel axiomatice iudicio clara sunt & manifesta, vel Syllogistica lance examinata.

SYLLOGISMUS est dianoa, qua questio cum argumento ita disponitur, ut posito antecedente necessario concludatur. Qua definitione genus, forma & finis eleganter comprehenduntur. Genus est in Dianoa, quae mentis, ut diximus, est agitatio, aliud ex alio deducens & derivans. Forma in quaestionis cum tertio argumento collocatione. Cum enim dubium est enunciatum, de cuius scilicet veritate non constat (si enim veritas est manifesta & perspicua, enunciati iudicio iudicatur, id est, ita esse aut non esse, syllogismo nihil opus est) aliud argumentum tertium assumitur ad disputandam quaestionem; cum illo inquam, quaestio est disponenda;

nenda: ut, exempli gratia, dubitetur: *an anima sit immortalis*; tertio opus erit argumento, quod sit tanquam Lydius lapis, quo aurum aurifices explorare solent; sic enim illo quæstionis veritas omni auro superior exploratur & expenditur: esto itaque illud, *Dei imago*, cum quo totam quæstionem vel partes dispones pro arbitrio. ut in syllogismi speciebus latius. Finis denique huiusmodi dispositionis est, ut posito antecedente, consequens necessario sequatur necessitate scilicet syllogistica. Non enim possunt poni & concedi propositio & assumptio, quæ hic appellantur pars antecedens, quin velis nolis ponas & concedas consequens, id est, quæstionem: ut, si disposueris hanc cum argumento quæstionem,

Imago Dei est immortalis.

Anima est imago Dei.

Anima igitur est immortalis.

Velis, inquam, nolis, concessis propositione & assumptione, conclusionem concedas necesse est. Unde ridiculus vulgi error apparet, cum inter disputandum conclusionem solent negare; cum error, & illud quod negandum est, lateat in parte aliqua antecedente, id est, propositione vel assumptione: ut,

Quicquid creatum est, mortale est.

Anima est creata.

Mortalis igitur.

Conclusio quanquam sit falsa & impia, non est neganda, sed propositio, ubi falsæ conclusionis causa latet; si enim illam cum assumptione concedis, conclusio non potest non esse vera.

Memineris, unicâ hac & legitimè constitutâ definitione, regulas illas de fugiendo vitandoq; quarto termino, comprehendendi & contineri. Si enim quæstio disponitur cum argumento, tria tantum argumenta, vel si placet loqui cum illis, tres termini syllogismum constituunt & comprehendunt: duo ipsius quæstionis (non enim pluribus constat) & tertium foris assumptum; quæ supra sunt, nihil concludunt, sed tantum scopæ sunt dissolutæ: cuiusmodi exempla passim apud alios obvia sunt, qui operose hæc tradunt. Usus autem syllogismi non est in qui-

busvis axiomatibus, sed tantum in contingentibus & dubiis. Quæ enim per se sunt manifesta, judicantur tantum ita esse aut non esse; quæ verò dubia, ut fidem faciant, tertium argumentum in subsidium vocant; non secus ac si duarum trabium loco immobilium, magnitudinem explorare velis, nimirum an sint æquales an verò inæquales, regula opus est, quam nunc huic nunc illi admoveas, cum qua si utraq; convenit, intelliges æquales; sin altera tantum, inæquales. Sic tertio argumento, ut disputes quæstionem duobus argumentis comprehensam, opus fuerit, cum quo si utrumque consentit, affirmatè concludis: ut,

Qui benè utitur ratione, sapiens est.

Cato benè utitur ratione.

Cato igitur sapiens est.

Hic quia *Cato* & *sapiens* consentiunt cum tertio argumento, rectè scilicet *uti ratione*, affirmatur quæstio, id est, affirmatè concluditur. Sin alterum tantum cum argumento convenit, negata est conclusio, id est, negatur quæstio: ut,

Turbatus non benè utitur ratione.

Sapiens benè utitur ratione.

Sapiens igitur non est turbatus.

Hic quia *turbatus* cum *uti ratione*, id est, tertio argumento, non convenit, *sapiens* verò convenit, negata est quæstio, id est, negatè concluditur. Sed si manifestum est axioma & suo iudicio clarum, sine syllogismo ita esse aut non esse iudicamus.

Sed hæc de syllogismi natura hætenus; sequitur eius distributio ex causis syllogismum integrantibus & constituentibus: ut sunt, *pars antecedens, & consequens*.

•• *Antecedens illud est, quod habet quæstionem cum tertio argumento dispositam.*

Consequens ipsa est quæstio sive conclusio. Ubi notaveris, quæstionem tunc appellari, cum ad disputandum syllogisticòs proponitur; cum verò disputata est, & post propositionem & assumptionem consequitur, conclusionem item complexionem appellari; ut tantum loco & tempore differant. Nam quod antè quærebatur, & ad disputandum propositum erat, hoc concluditur.

Anteco-

Antecedens porro eadem ex causis distributione bipartito in propositionem & assumptionem dividitur.

Propositio est prima pars antecedentis, qua questionis saltem consequens cum argumento disponitur. Ubi imprimis praeter alia omnia, vocula saltem observetur. haec enim aliquam videtur obscuritatem & ambiguitatem parere; at recte intellecta omnem sustulerit. Significat itaque, si non tota quaestio disponitur in propositione cum tertio argumento, quae natura est syllogismi compositi, (ut suo loco) saltem tunc quaestiois partem consequentem in propositione disponi cum argumento. At exempla sint:

Si anima est imago Dei, anima est immortalis.

At est imago Dei.

Est igitur immortalis.

Tota hic quaestio, estne anima immortalis, cum tertio argumento imago Dei, in propositione disponitur. Sed,

Imago Dei est immortalis.

Anima est imago Dei.

Anima igitur est immortalis.

Quaestiois pars consequens tantum cum argumento in propositione disposita cernitur.

*Assumptio pars altera antecedentis est, quae ex propositione assumitur. definitio est a conjugatis. Dicitur autem assumptio ab assumendo, quod scilicet tertium argumentum assumat e propositione: quapropter & Cicero i. de Inventionem, *Assumptio est, inquit, per quam id, quod ad ostendendum pertinet, e propositione assumitur, id est, tertium argumentum: illud enim ad ostendendum, id est, ad arguendum quaestiois veritatem pertinet. Intelligimus itaque in assumptione partem quaestiois antecedentem, ut in propositione, consequentem, cum tertio argumento disponi.**

Consequens denique est quae complectitur partes quaestiois, eamque concludit; unde complexio & conclusio dicitur; conclusio, quia syllogismum concludit, hoc est, terminat; complexio, quia partes quaestiois cum argumento in antecedente dispositas colligit & complectitur. Dicitur & consequens, quod syllogistica necessitate ex antecedente consequatur, hoc est, inferatur.

Et hæcenus quidem de syllogismi partibus: sequuntur ejus tres affectiones, *Enthymema* scilicet, *Prosyllogismus* & *partium trajectio*.

Enthymema est mutilus syllogismus, cui una aliqua pars deest, vel propositio, vel assumptio, vel conclusio. Est autem Enthymematum frequentissimus usus in humana vita, & quidem longè frequentior quàm Syllogismorum. Ita enim comparatum est à natura, ut velimus illam partem, quæ per se clara & manifesta est, omitti; respicit enim usus non secus plenos syllogismos, ac latinus sermo pronomina illa primæ & secundæ personæ: non enim perpetuò *ego amo, tu amas*; sed *amo, amas* Grammatica loqui docet. Hinc illud est, quòd si omnes poëtas, & oratores tam Græcos quàm latinos legas & relegas, vix centesimum syllogismum suis partibus absolutum & integrum invenias, sed nuda tantum Enthymemata.

Secunda affectio est *Prosyllogismus*, Ciceroni *approbatio* dicitur, & quidem Enthymemati opponitur: quemadmodum enim Enthymema syllogismum parte aliqua mutilat: sic Prosyllogismus partes dubias approbat. Unde *Prosyllogismum* esse intelligimus, *cum infirmiori & dubia propositioni vel assumptioni vel etiam conclusioni approbationes adduntur, ut eò sint manifestiores & clariores: ut,*

Imago Dei est immortalis. Nam mortale non potest imago esse immortalis.

Sed anima est imago Dei: Moses enim hominem ad imaginem Dei creatum esse ait.

Anima igitur est immortalis.

Prosyllogismi sunt duo: alter approbat propositionem, alter verò assumptionem, ut eo sint manifestiores clarioresque.

Tertia affectio est *partium inversio* & quasi quædam hystero-logia. Non enim perpetuum est ut ordine collocentur, id est, ut propositio loco sit primo, assumptio secundo, conclusio denique tertio: non magis quàm apud Grammaticos nominativus verbum personale præcedit. Imò perpetuum hoc est ferè in humano rationis usu, ut ordo hujusmodi turbetur:
attamen

attamen si qua propterea dubitatio fuerit, supplenda quæ defunt, amputanda quæ supersunt, & pars quælibet in locum redigenda est: vel, ut apertius loquamur, cum de syllogismi consecutione judicare volumus, num conclusio necessariò consequatur ex propositione & assumptione; in Enthymemate pars quæ deest, explenda fuerit, ut integer fiat syllogismus; prosyllogismi erunt amputandi, ut nudæ partes sine approbationibus appareant; denique pars quælibet reducenda, redigendaque est, ut suo & proprio sit loco.

Ad extremum diligenter hoc observandum, in syllogismo neque veritatem, neque falsitatem spectari ponderarive. illa enim propria sunt axiomaticum; sed tantum consequentiam & inconsequentiam, id est, necessariò ex antecedentibus propositione & assumptione conclusio sive quæstio consequatur, an verò inconsequens sit ex iisdem illis.

Sequitur post syllogismi partitionem & communes ejus affectiones, tandem distributio ex effectis, id est, generis in suas species.

Est autem syllogismus simplex, vulgò Categoricalis; aut compositus, vulgò Hypotheticus. Maluit autem Ramus categoricum simplicem, hypotheticum verò compositum appellare, quàm illa vocabula retinere; quòd essentiam & naturam dispositionis exprimant magis, id est, quomodo quæstio cum argumento disponatur.

Simplex syllogismus est, qui consequens quæstionis disponit in propositione, antecedens verò in assumptione; ut ita intelligamus, hoc illum appellari nomine, à partium quæstionis simplici dispositione. Nam oblata quæstionis duas partes sive duo argumenta diducit, & utrunque cum argumento tertio seorsum collocat ac disponit, cõsequens in propositione, antecedens verò in assumptione: ut, exempli gratiâ, quærat, *sitne avarus liber?* negetur, & causa reddatur, quòd sit timidus: fiat syllogismus, sumatur quæstionis consequens, *liber*, cum tertio argumento, *timidus*: *Timidus non est liber*: hinc antecedens cum eodem tertio, *Avarus est timidus*: consequitur iterum quæstio, & conclusio fit, *Avarus igitur non est*

liber. Ex hac, *inquam*, partium singularum cum argumento dispositione, simplex appellatur syllogismus. Observa, Aristotelem & ejus interpretes tria hæc argumenta, unde syllogismus conflatur, Geometricâ metaphorâ á triangulo traductâ, terminos appellare.

Sequuntur deinceps quinque communes syllogismorum affectiones, sed simplicium tantum, non etiam compositorum, (In compositis enim nulla est generalitas, aut specialitas, ut supra etiam meminimus de axiomatibus) ut sunt affirmatio, negatio, generalitas, specialitas, & proprietas. Ubi ante omnia dissimilis Rami & Aristotelicorum sententia observetur: hi enim illas metiuntur ex conclusione; ut is sit affirmatus, negatus, generalis, specialis & proprius, qui conclusionem habet *affirmatam*, *negatam*, *generalem*, *specialem*, *propriam*; ut ita ex una aliqua parte totus syllogismus appelletur, ille veró est tota syllogismi affectione, id est, habitâ ratione & antecedentis & consequentis.

Affirmatus itaque fuerit, ubi partes omnes sunt *affirmatæ*: ut,

Imago Dei est immortalis.

Anima est imago Dei.

Anima igitur est immortalis.

Negatus, non qui partes omnes (ex meris enim negatis nihil consequitur) ut,

Lapis non est baptizandus.

Puer non est lapis.

Puer igitur non est baptizandus.

habet negatas, sed qui unam tantum antecedentis partem, vel propositionem, vel assumptionem, (nihil enim refert, alterutra fuerit) & conclusionem habet *negatam*: ut,

Imago Dei non est mortalis.

Anima est imago Dei.

Anima igitur non est mortalis.

Generalis est, qui habet utramque partem antecedentem *generalem*, quamvis conclusio sit specialis: ut,

Fortitudo pro justitia fortiter pugnat.

Fortitudo est virtus.

Quaedam igitur virtus pro justitia propugnat.

Item

Item, ubi partes omnes sunt generales: ut,
Virtus actiones humanas recte & rationi conformat.
Fortitudo est virtus.

Fortitudo itaque actiones humanas recte & rationi conformat.

Specialis est, qui alterutram partem antecedentem & conclusionem habet specialem. Nam ex meris specialibus, sive, ut loquuntur, particularibus nihil sequitur: ut,

Quaedam poma sunt flava.

Quaedam pyra non sunt flava.

Quaedam igitur pyra non sunt poma.

Nihil autem sequi intelligimus; quod ex vera propositione & assumptione, falsa sequatur, ut hic videmus, conclusio. Esto itaque semper antecedentis pars altera generalis: ut,

Consules virtute facti studiosè rempublicam tueri debent.

Cicero est virtute factus consul.

Cicero igitur studiosè rempublicam tueri debet.

Proprius denique est, qui utramque partem antecedentem habet propriam: ut,

Abrahamus placuit Deo.

Abrahamus fuit dives.

Quidam igitur divites placent Deo.

Simplex deinde duplex: contractus scilicet, & explicatus. Aliàs enim syllogismi materia ad quæstionem specialem contrahitur, & exemplum loco argumenti subjicitur: aliàs verò partibus explicatur, & quidem plenè; ille apud bonos auctores, & in rationis humanæ usu nunquam aliter reperitur, quàm hoc, ut diximus, modò contractus, imò ne ejus quidem Enthymema: hîc verò partibus integer. At, inquires, si non reperiuntur hujus generis integri syllogismi, cur inter syllogismos ejus doctrina traditur? At, inquam, illa particularis quæstio cum suo argumento ita disponi potest, ut syllogismus integer fiat: ut, quærat: *An quedam pulcra labore parentur?* respondeatur, *ita*, & pro exemplo subjiciatur *virtus*; hîc mens humana, audito eo, quod pulcrum sit, & labore paretur,

virtute scilicet, acquiescit, nec aliam quærit dispositionem: at si opus fuerit, & placuerit, hoc pacto absolvere potest.

Omnis virtus labore paratur.

Omnis virtus est pulcra.

Quoddam igitur pulcrum labore paratur.

Et hæc fuit causa, cur Laurentius Valla hoc genus syllogismi ex arte Dialectica explodendum judicaverit, quod scilicet integrum nunquam reperiatur; Ramus verò retinendum censuit, quod si opus sit, absolvi potest, ut iam vidimus. Hoc genus Aristotelicorum *tertia figura* est: & apud Ramum syllogismi simplicis species est prima, quod hinc argumentum tertium in propositione & assumptione antecedit, in primâ verò figurâ Aristotelicâ composita quasi & mixta dispositio sit tertii argumenti, utpote quod in propositione antecedit, in assumptione consequatur; illam communem habet cum hoc contracto, hanc cum explicato primo.

Definitur autem *contractus syllogismus*, quando argumentum pro exemplo ita subjicitur particulari quæstioni, ut utramq; partem antecedens, & assumptione affirmatum intelligatur. In qua definitione quatuor ejus exprimuntur affectiones & proprietates. Prima, quod argumentum sit exemplum. Secunda, quod quæstio, quæ proponitur ad disputandum, & propterea etiam conclusio sit particularis. Tertia, argumentum in propositione & assumptione antecedere. Quarta denique, quod assumptio perpetuò hinc sit affirmata, negata verò nunquam. Quia porro nulli hinc integri reperiuntur syllogismi, in certas species à Ramo syllogismus contractus non est distributus. Sed quia quæstio & argumentum in syllogismum integrum redigi possunt, species erunt octo; tres affirmati, totidem negati, & duo proprii. Affirmati vulgò hisce notantur vocabulis, *Darapti*, *Disamis*, *Datifi*.

Darapti propositionem & assumptionem generalem habet affirmatam, conclusionem verò specialem: ut,

Omnis virtus labore paratur.

Omnis virtus est pulcra.

Quadam igitur pulcra labore parantur.

Disamis

Disamis est, quæ propositionem & conclusionem habet speciales, assumptionem verò generalem, & partes omnes affirmatas: ut,

Quadam voluptas appetitur.

Omnis voluptas est malum.

Quoddam igitur malum appetitur.

Datisi est, quæ partes omnes habet affirmatas, sed solam propositionem generalem, assumptionem verò & conclusionem speciales: ut,

Omnes stulti sunt servi.

Quidam stulti sunt divites.

Quidam igitur divites sunt servi.

Negati verò his notantur notis, *Felapton*, *Bocardo*, *Ferison*.

Felapton est species, quæ solam assumptionem generaliter habet affirmatam, propositionem verò & conclusionem negatas, sed propositionem generaliter, conclusionem verò specialiter: ut,

Nullum periculum viro forti est fugiendum.

Omne periculum est molestum.

Quadam igitur molesta viro forti non sunt fugienda.

Bocardo est, quæ assumptionem solam generaliter habet affirmatam, propositionem verò & conclusionem specialiter negatas: ut,

Quoddam bellum non est fugiendum.

Omne bellum est calamitosum.

Quadam igitur calamitosa non sunt fugienda.

Ferison est, quæ propositionem solam habet negatam generaliter, assumptionem verò & conclusionem speciales, sed illam affirmatam, hanc verò negatam: ut,

Egens non est dives.

Quidam egentium sunt avari.

Quidam igitur avari non sunt divites.

Proprii sunt, qui utramque antecedentem partem habent propriam, nec ullis propriis notantur notis; suntque duo: Prioris exemplum est:

Catilina fuit seditiosus.

Catilina fuit Romanus.

Quidam igitur Romani sunt seditiosi.

Secundi.

Catilina non fuit probus.

Catilina fuit nobilis.

Quidam igitur nobiles non sunt probi.

Ibi propositio & conclusio sunt affirmatae, non secus ac assumptio: hinc verò negatae. Hoc inquam pacto, si opus sit, contractus syllogismus expleri potest. Sed usus discedendi magister, syllogistici iudicii, sic contrahitur, nec aliter explicatur. Atque ista expositio principium syllogismi partibus explicati ab Aristotele efficitur, tanquam per se pleno syllogismi iudicio sit clarior & manifestior.

Sequitur species altera simplicis syllogismi in explicato.

Est autem explicatus syllogismus, cuius partes apud auctores in humana rationis usu integrae & absolutae reperiuntur, vel etiam, cuius Enthymemata extant.

Sunt autem explicati syllogismi generales affectiones duae. Prior, quòd propositio perpetuò sit generalis aut propria, particularis nunquam. Altera, quòd conclusio similis sit parti antecedenti, id est, propositioni & assumptioni: si illae sunt affirmatae, affirmata est conclusio; si generales, conclusio quoque generalis fuerit, vel saltem similis erit parti debiliori. Est autem debilior pars illa quae negat, quam quae affirmat; quae specialis est, quam quae generalis. Si itaque aut propositio est specialis, aut assumptio, conclusio quoque erit huiusmodi; si verò negata, & similis illi erit conclusio.

Dicitur autem negatio affirmatione debilior, quòd illa sit partium diæresis, & divisio seu dissolutio; affirmatio verò synthesis, collectio & compositio, ut in axiomatibus meminimus: soluta verò imbecilliora sunt, quam quae nodo sunt colligata. Specialitas praeterea generalitate intelligitur imbecillior, quia consequens ibi ad minus multa pertinet sub antecedente comprehensa, hinc verò ad omnia.

Sunt duae ejus species; prior Aristotelicis secunda dicitur figura, metaphorâ à geometris, quorum propria est figura, quae scilicet terminis clauditur. Prior est, ubi argumen-

argumentum semper sequitur negatum in altera parte.
 Ut & hoc loco duæ intelligantur affectiones: prior est in tertii argumenti consequutione. Nam ita disponitur, ut & in propositione & assumptione consequatur, partes veró quæstionis antecedant. *Posterior*, quód partium antecedentium alterutra sit negata; unde negatam etiam conclusionem (cúm conclusio debiliori sit similis) intelligimus.

Modos sive species habet sex: duos generales, totidem speciales, totidem quoque proprios. Generales vulgò *Cesare* & *Camestres* vocantur.

Cesare est modus, qui omnes partes habet generales, sed solam assumptionem affirmatam, reliquas negatas: ut,

- Ces- *Nulli divites egent.*
 a- *Omnis avarus eget.*
 re. *Nullus igitur avarus est dives.*

Similiter dispones: *Cometa non est stella, quia exiguo tempore consumitur.*

Invidus non est sapiens, moeret enim bonis alienis.

Timidus non est fortis, detrectat enim pericula.

Sapiens non est turbatus, bene enim utitur ratione.

Religio non est simulatio, quia virtus.

Camestres est, qui omnes partes itidem habet generales, sed propositionem tantúm affirmatam, reliquas negatas: ut,

- Cam- *Omne mortale est compositum.*
 es- *Animus non est compositus.*
 tres. *Animus igitur non est mortalis.*

Similiter concludes & hæc:

Dolor & paupertas non sunt mala; quia non faciunt hominem deteriore.

Sapiens non est pauper, quia nihil cupit.

Nulla voluptates bona sunt, quia non faciunt possessorem meliorem.

Utilitas non est honesta, quia per se non expetitur.

Amor consilio regi non potest, quia nullum in se consilium habet.

Speciales sunt, qui partium antecedentium alteram tantum habent generalem, reliquas *speciales*; ejusque modi sunt *Festino* & *Baroco*.

Festino est, qui propositionem & conclusionem habet negatas: sed illam generalem, hanc vero specialem, assumptionem vero specialiter affirmatam: ut,

Nullus voluptarius literarum est studiosus.

Celius est literarum studiosus.

Celius igitur non est voluptarius.

Similiter disponas: *Maximus non est lividus, quia magnanimus.*

Pecunia non est bonum, quia eam male quis uti potest.

Catilina non est patria studiosus, quia perniciem ei machinatur.

Æneas non est degener, quia fortis.

Achabus non est justus, quia innocentem Naboth ob vineam negatam trucidavit.

Baroco est, qui propositionem habet generaliter affirmatam, assumptionem vero & conclusionem specialiter negatas: ut,

Omnis adultera peccat animo & voluntate.

Lucretia non peccavit animo & voluntate.

Lucretia igitur non fuit adultera.

Similiter dispones: *Murana non est saltator, quia non est luxuriosus.*

Ciceronis ab urbe discessus non fuit exilium. non enim fuit scelerum poena.

David non omnino a peccatis fuit immunis. non enim abstinuit ab uxore Uria.

Petrus Christum negando non peccavit in Spiritum sanctum, quia non desperavit.

Proprii sunt, qui utramque partem antecedentem habent propriam.

Proprii autem modi duo sunt, sed non propriis voculis vulgò notati. *Prior* est, qui propositionem & conclusionem habet negatas, assumptionem vero affirmatam: ut,

Agésilauus non est pictus ab Apelle.

Alexander est pictus ab Apelle.

Alexander igitur non est Agésilauus.

Secundus

Secundus modus est, ubi propositio affirmatur, assumptio veró & conclusio negantur: ut,

Cæsar oppressit patriam.

Tullius non oppressit patriam.

Tullius igitur non est Cæsar.

Ad extremum observatu hîc dignissimum est, tertium argumentum, quod ad disputandam quæstionem assumitur, perpetuó cum quæstionis parte altera consentire, cum altera veró dissentire, & propterea non nisi negatas hîc disputari quæstiones: ut, quærat: *Sitne invidus sapiens?* respondeatur: *invidus non est sapiens*, addito argumento *quod mæreat alienis bonis: hîc alienis bonis mæcere*, consentit cum *invido*, quæstionis parte antecedente, tanquam affectio cum proprio subjecto, á *sapiente* veró tanquam oppositum dissentit; unde concludimus sapientiam ab invido esse remotam.

Hoc itaque syllogismi genus refutandis falsis quæstionibus, accommodatissimum est: ut, si velis refutare opinionem eorum, qui cometam stellam esse crediderunt, sumto argumento ab adjuncta duratione dispones:

Stella est æterna.

Cometa non est æternus.

Cometa igitur non est stella.

Cúm enim in tertio non conveniunt, inter se non convenient.

Si partibus omnibus affirmatus fuerit, inconsequens erit: ut,

Homo est animal.

Bestia est animal.

Bestia igitur est homo.

Demonstrata inconsequentia propter partes omnes affirmatas, syllogismum solveris.

Altera explicati species est, ubi argumentum antecedit in propositione, sequitur affirmatum in assumptione. Unde duas ejus affectiones colligimus:

Prima est in dispositione, quæ non est simplex: aliter enim tertium argumentum in propositione, aliter in assumptione cum quæstionis partibus disponitur; ibi enim antecedit, hîc veró consequitur. Ut intelligamus,

Aristotelem ejusque interpretes non recte hanc fecisse primam figuram, cum dispositio sit conflata ex syllogismo contracto, ubi antecedit, & explicato primo, ubi consequitur.

Altera proprietas est, quod assumptio nunquam negetur, sed semper affirmetur; ut ex negata assumptione nihil sequi necessario intelligamus: ut,

Homo est animal.

Bestia non est homo.

Bestia igitur non est animal.

Item,

Justitia est virtus.

Fortitudo non est justitia.

Fortitudo igitur non est virtus.

Syllogismi sunt inconsequentes. Nam ex vera propositione veraque assumptione, conclusiones deducuntur falsae. Sed demonstrato assumptionem esse negatam, contra hujus syllogismi naturam, nodum solveris. Modi sunt sex, generales duo, speciales totidem, totidemque proprii. Generales partes omnes habent generales. Estque affirmatus aut negatus. In affirmato partes omnes generales sunt & affirmatae, vulgo *Barbara*: ut,

Omne bonum est expetendum.

Omnis virtus est bonum.

Omnis igitur virtus est expetenda.

Similiter concludes: *Sapiens est beatus, quia virtute gaudet.*

Avarus est servus, quia cupit & metuit.

Honestum est utile, quia justum.

Virtus est bonum, quia facit possessorem meliorem.

Sapiens est dives, quia suis rebus contentus est.

Memineris, solum hunc affirmatum generalem $\chi\tau\iota$ παντός concludere, imo omnes partes habere $\chi\tau\iota$ παντός. Propterea si qua dubitatio incidit de artium theorematibus, hoc syllogismo esse disputandum, & hinc etiam esse illas hujusmodi laudes, praeconia & praestabilitatem.

In *negato* partes omnes sunt quidem generales, sed sola

sola

sola assumptio affirmata. propositio enim & conclusio negan, tvulgó Celarent: ut,

Nihil violentum est perpetuum.

Omnis tyrannus est violentus.

Nulla igitur tyrannus perpetua.

Similiter concludes: *Avarus non est beatus, quia suis diffidit.*

Opes non sunt in bonis, quia hinc illucq; transferri possunt.

Avarus non est liber, quia timet.

Mors non est malum, quia beatos nos efficit.

Adolescentes reipub. gubernationi non sunt idonei, quia rerum imperiti.

Speciales antecedentem partem alteram, & propterea etiam conclusionem habent specialem. Estque affirmatus aut negatus.

Affirmatus omnes partes habet affirmatas, sed solam propositionem generalem, reliquas speciales, vulgó Darii: ut,

Omnis insidiator jure caditur.

Clodius est insidiator.

Clodius igitur jure est casus.

Similiter concludes: *Archias est civis, quia apud praetorem populi Romani professus est.*

Cicero studiosé rempub. tueri debet, quia virtute factus

Cicero est orator, quia dicendi peritus. (est consul.

Curius est abstinens, quia oblatum á Samnitibus aurí pondus accipererecusavit.

Lesbia est Catullo grata, quia optata rediit.

Negatus propositionem habet generalem & negatam, & propterea etiam conclusionem, sed specialiter; assumptio est specialiter affirmata, vulgó Ferio: ut,

Sapiens non afficitur aegritudine.

Cato est sapiens.

Cato igitur non afficitur aegritudine.

Similiter concludes: *Crassus non est dives, quia plura cupit.*

Quadam voluptas non est bona, quia hominem pecudí similem efficit.

Demophoon non est laudandus, quia deceptor est amantis Phyllidis.

Æneas non est timidus, quia fortis.

*Romulus opibus non ascendit in calum, quia virtutibus
& rebus gestis beatus est factus, & in deorum numerum re-
latus.*

*Proprii sunt, qui antecedentem utramque habent pro-
priam; & modi sunt duo:*

Prior omnibus partibus affirmatus est & proprius: ut,

Octavius est haeres Caesaris.

Augustus est Octavius.

Augustus igitur haeres est Caesaris.

*Alter modus omnes partes quidem habet proprias, sed
propositionem & conclusionem negatas, assumptionem
veró affirmatam: ut,*

Antonius non est filius Caesaris.

Tu es Antonius.

Non igitur es filius Caesaris.

Hactenus de altera explicati syllogismi specie. Ubi hoc silentio non est prætereundum, quód híc contineantur syllogismi generaliter affirmati & negati, item specialiter affirmati & negati; ut hoc quasi privilegium quoddam híc esse videatur. Nam in superiore syllogismo explicato omnes erant negati, affirmati nulli; in contracto omnes speciales, nulli veró generales: sed híc & generales & speciales, & affirmatæ & negatæ quæstiones disputantur, concludunturque.

Syllogismi species altera est in composito. Est autem *compositus syllogismus á componendo dictus*, quemadmodum & axioma. Nam híc quæstio tota cum argumento disponitur, in propositione affirmata & composita, ut pars ejus sit altera: argumentum deinde pars reliqua. Quapropter tres compositorum syllogismorum communes proprietates & affectiones intelligimus.

Prima est in dispositione totius quæstionis cum argumento; ut ita differat á simplici, ubi quæstionis partes cum tertio argumento seorsim collocantur, consequens quidem in propositione, antecedens in assumptione, ut hactenus declaratum est.

Secunda in propositionis affirmatione. nam si negatur, inconsequens fuerit, & falsum concludetur: ut,

Non

Non si sol ortus est, dies est.

Sed sol non est ortus.

Dies igitur.

Tertia est in compositione; nam ex simplici propositione non potest existere compositus syllogismus. Componantur itaque partes propositionis aliqua conjunctione, connexiva vel disjunctiva: ut,

Si anima est imago Dei, immortalis est.

At est imago Dei.

Igitur immortalis.

Item,

Aut anima est imago Dei, aut mortalis.

At non est mortalis.

Imago igitur Dei.

Hic tota quaestio, *an anima sit mortalis, item, an anima sit imago Dei*, in affirmata propositione disponitur cum tertio argumento, & conjunctione connexiva & disjunctiva componuntur. Unde syllogismum compositum & legitimum & consequentem intelligimus.

Quia postea in specierum nonnullarum definitionibus, tollendi vocabulum usurpabit Ramus, antequam definit, quid eo velit intelligi. Significat itaque *tollere, specialem contradictionem ponere*, id est, generali affirmato, specialiter & negatè contradicere, & contra, generali negato, specialiter & affirmatè contradicere: ut,

Si ullus homo est rationis expers, aliquod animal naturam logicum erit alogum.

Sed nullum animal naturam logicum est alogum.

Nullus igitur homo rationis est expers.

Item:

Si nullus homo est electus, nullus homo salvatur.

Sed aliquis homo salvatur.

Aliquis igitur est electus.

Hic in priore syllogismo assumptio generalis tollit consequentem partem propositionis specialem, id est, specialiter contradicit, & conclusio tollit partem antecedentem.

Simile iudicium esto in altero.

Compositus deinde syllogismus ratione propositionis duplex est, connexus scilicet & disjunctus, quia conjunctio

quæstionem cum argumento disponens, duplex hîc est, connexiva scilicet & disjunctiva.

At, inquires, quatuor esse axiomaticorum compositorum genera: copulatum, connexum, discretum & disjunctum, & propterea quatuor esse compositorum syllogismorum genera. At, inquam, copulatum & discretum in compositum syllogismum nunquam ingrediuntur, imò discretum nunquam ad syllogismum adhibetur; cum tantum hîc quædam distinctio sit rerum ratione tantum dissentientium: copulatum verò axioma tantum in simplicibus esse potest, vel etiam compositi partibus, non autem quæstionem cum argumento componere potest. Duo itaq; sunt compositi syllogismi genera, non plura, connexum scilicet & disjunctum.

Connexus syllogismus est compositus propositionis connexæ; ut intelligamus, quæstionem & argumentum connexiva conjunctione componi. Est q; ratione assumptionis conclusionisq; duplex: aliàs enim assumitur pars antecedens, & concluditur consequens, non aliter quàm erant proposita, id est, si proposita erant affirmatè, affirmatè assumuntur & concluduntur, contra si negatè. Aliàs verò aliter assumuntur concludunturq;, quàm erant proposita, id est, si proposita erant affirmatè, assumuntur concludunturq; negatè; si verò proposita erat negatè, assumuntur concludunturq; affirmatè; ille modus appellatur prior, hic verò posterior.

Prior modus est, qui assumit antecedens, ut concludat consequens. Concludendi autem vocabulum, ut & assumendi, tollendi vocabulo sunt contraria: ut enim tollere significat specialiter contradicere; ita assumere & concludere nihil immutare significant, verum ita assumere propositionis partem alteram, alteram verò concludere, ut erant in propositione propositæ. Sed exemplis clariora evadent:

Si sapiens est dives, suis rebus est contentus.

Sed dives est.

Suis igitur contentus.

Si Murana non est luxuriosus, non est saltator.

Sed non est luxuriosus.

Neque saltator igitur.

Si Maximus non est invidus, est magnanimus.

Sed non est invidus.

Magnanimus igitur.

Si circumcisionem accipit homo sabbatho, ut nō solvatur lex Mosis, injuste Judæi indignantur Christo, quod totum hominem sabbatho sanum fecerit.

Sed homo accipit sabbatho circumcisionem, ut non solvatur lex Mosis.

Injuste igitur Judæi indignantur Christo, quod totum hominem sabbatho sanum fecerit.

Hinc apparet, & antecedentem partem assumi, & consequentem concludi, ut erant propositæ, affirmatas & negatas.

Similiter & hæc dispones:

Dii sunt, quia divinatio est.

Injuria prohibetur, quia hominum naturalis est conciliatio.

Fortitudo est actionis honestas, quia virtus.

Argumenta sunt relatæ affectionis, quia mutuó se arguunt.

Æneas Didonem non debet deserere, quod ipsa de eo bene sit merita.

Christus in terris manere non potuit, quia consolator erat mittendus. Iohan. 10.

Apostoli non sunt servi, quia omnia Christus, que auditavit á patre, nota fecit illis. Ioh. 15. v. 15c

Apostoli non sunt ex mundo, mundus enim hos odit.

Fit tamen aliquando, ut non idem argumentum quæstionem disputans assumatur, sed majus quippiam, nec tamen quartum argumentum pariat; inconsequens enim alioquin esset syllogismus: ut illud Ciceronis 1. Catilinaria: Ioh. 15. v. 19c

Si te tui parentes odissent, alió concederes.

Sed patria te odit.

Alió igitur concedas.

Quasi dicat, si parentes tui te odissent, aliquó concederes, quanto magis cum te patria oderit; ut ita minus majoris sit illustratio: at patria te odit: alió igitur concedas. Simile erit & hujusmodi:

Si te magistratus tollere crucem tuam & se sequi juberet, obtemperares.

At Christus jubet, ut tuam tollas crucem & se sequaris.

Obtemperes igitur.

Ut ita magistratus, argumentum minus, Christum tanquam argumentum majus illustret.

Est & alia hinc species propositionis relatæ temporis, ubi consequentia vim habet connexionis: ut,

Cum Paris deseret Oenonem, Xanthus ad fontes suos revertetur.

At deseruit.

Recurrat igitur.

Sequitur posterior, quæ contradicendo specialiter & assumit & concludit. Assumit autem partem consequentem & concludit antecedentem, verum tollendo, id est, specialiter contradicendo: ut duplici notâ a priori distinguatur; ibi assumebatur antecedens, concludebatur verò consequens: hinc verò assumitur consequens, & concluditur antecedens. Deinde, ibi & assumitur & concluditur, ut partes erant propositæ: hinc verò utraque tollitur: ut,

Si Lucretia est adultera, Tarquinio Sexto consensit.

Sed non consensit.

Nec igitur adultera.

Si Abraham ex fide non est justificatus, habet quod gloriatur apud Deum.

Sed non habet quod gloriatur apud Deum.

Fide igitur est justificatus.

Si nemo pecunia malè uti potest, pecunia est in bonis.

Sed pecunia non est in bonis.

Malè igitur quis eam uti potest.

Si vana est spes resurrectionis, Christus non surrexit.

Sed Christus surrexit.

Non igitur vana est spes resurrectionis.

Similiter concludes: Judæi non sunt filii Abraham, quia Abraham opera non faciunt.

Mulier non debet velari, quia non tondetur.

Vir ne sit in ecclesia aperto capite, quia imago est Christi.

Sapiens nulli rei assentietur, quia nunquam opinabitur.

Ovidius est stultus, quia Poesin non fugit.

Et

Et haecenus de syllogismis connexis. Ubi hoc observandum, notas esse quasdam, quibus brevius assumimus & concludimus: ut in primo connexo sunt: *Sed illud, igitur hoc. Sed primum est verum, verum igitur & postremum, si- ve secundum. Item, antecedens est verum, igitur & conse- quens: ut,*

Si apertam esse mulieri est dedecori: opertam & vela- tam esse erit gloria.

Sed antecedens est verum.

Verum igitur & consequens.

In connexo secundo sunt: *Non hoc, nec illud igitur. Secundum falsum, igitur & primum. Consequens falsum, igitur & antecedens: ut,*

Si mulieri apertam esse non est dedecori, comatam esse non erit gloria.

Sed secundum est falsum.

Falsum igitur & primum.

Alter syllogismus compositus est *disiunctus.*

Est autem *disiunctus syllogismus compositus disiuncta propositionis.* Unde intelligimus compositionem quaestio- nis argumenti fieri conjunctione disiunctiva, id est, hu- jusmodi vinculo, quod notat quaestionem & argumen- tum nunquam simul vera esse posse, & propterea perpe- tuó assumptionem vel conclusionem alteram partem pro- positionis tollere.

Species autem dua sunt, prior & posterior; ita enim ap- pellantur ratione ordinis, quod propria illis desint no- mina.

Prior est, qua tollit unum & reliquum concludit. Unde intelligimus assumptionem specialiter contradicere vel propositionis antecedenti: ut,

Aut dies est aut nox est.

Sed dies non est.

Nox igitur.

Vel consequenti: ut,

Aut dies est aut nox est.

At nox non est.

Dies igitur.

Conclusionem veró reliquam partem, quæ nō est assum- ta, concludere: ut,

Aut ex operibus legis Spiritum accepistis, aut ex fide per auditum percepta.

Sed non ex operibus legis.

Ergo ex fide per auditum percepta.

Vir prophetans aut nō est imago Dei, aut non velet caput.

Sed est imago Dei.

Non igitur velet caput.

Aut cōsolator ille nondū venit, aut Christus à terris abiit.

At venit.

Christus igitur à terris abiit.

Aut justitia est actionis honestas, aut non est virtus.

Sed virtus est.

Actionis igitur honestas.

Similiter concludes: Cluentius debuit Opianicum veneficum accusare, quia non fuit ipsi moriendum.

Brutus & Cassius percussores Caesaris non sunt homicida, quia libertatis vindices.

Virtus est amplectenda, quia vitium fugiendum.

Ciceroni licuit defendere amicum, quia Torquato licuit accusare inimicum.

Virtus satis magnam vim habet ad beatam vitam, quia vitium sufficit ad miseriam.

Mulieri velatam esse gloria est, quia apertam esse dedecori est.

Nota in hujusmodi quæstionibus & argumentis, quando contraria parium axiomate tractantur, in propositione partem alteram esse negandam: ut,

Aut mulieri velatam esse gloria est, aut opertam esse non est dedecus.

Aut virtus satis magnam vim habet ad beatam vitam, aut vitium non sufficit ad miseriam.

Aut Ciceroni licuit defendere amicum, aut Torquato non licuit accusare inimicum.

Secus ridiculum fuerit si proponas:

Aut mulieri velatam esse gloria est, aut opertam esse est dedecus.

Item, Aut virtus est amplectenda, aut vitium fugiendū. Cūm utrunq; verum sit, in disjunctione autem non nisi una pars vera esse possit.

Judican-

Judicandi concludendiq; ars eadem fuerit, si disjunctæ partes propositis duabus sint plures: nihil enim ad judiciū interest, in propositione duæ sint partes an plures; & tum ex disparatis erit conflata: ut,

Rabyrius aut à consulibus, aut à seditiosis stare debuit, aut latere.

Sed cum seditiosis esse, aut latere non potuit.

Cum consulibus igitur esse debuit.

Patientia est prudentia, aut justitia, aut fortitudo, aut temperantia.

At non est prudentia nec justitia aut temperantia.

Patientia igitur est fortitudo.

Deinceps est altera disjuncti species, quæ est syllogismus compositus è propositione partibus omnibus affirmata, assumens unum tollensq; reliquum; ut tres hinc affectiones proprias esse intelligamus.

Prima est in propositione omnibus partibus affirmata, cum in priore specie partes quomodolibet affectæ, id est, affirmare negareve potuerunt.

Secunda est in assumptione, quæ assumit argumentum è propositione, ut erat propositum, id est, affirmatè si affirmatum, & negatè si negatum erat.

Tertia in conclusione, quæ alteram partem non assumptam tollit, id est, negat si erat affirmatum, affirmat si erat negatum; cum assumptio in priore illo modo tolleret, conclusio verò reliquum tolleret: ut,

Dies est aut nox est.

Sed dies est.

Non igitur nox.

Aut Mammonæ serviendum, aut Deo.

Sed Deo serviendum est.

Non igitur Mammonæ.

Aut Turnus interficietur, aut Juno fallitur.

Sed interficietur.

Non igitur fallitur.

Prudentia aut virtus est, aut vitium.

At virtus.

Non igitur vitium.

Similiter concludes & illa, quæ in priore specie affirmatè proponuntur: ut,

Aut ex operibus legis Spiritum accepistis, aut ex fide per auditum percepta.

Sed ex fide.

Non igitur ex operibus legis.

Est & alius (ut hoc appendicis loco adjiciamus) concludendi modus, non quidem huic dissimilis, sed propositione tantum diversus: ut cum propositio est negatum copulatum axioma. Nam illud tantum unam partem veram esse innuit; quæ est natura conjunctionis disjunctivæ: ut, cum dicitur: *dies est & nox est*, partes simul veras esse intelligimus; at, *non & dies & nox est*, non simul veras, sed alteram falsam esse innuit: ac idem est quasi dicas: *Aut dies est aut nox est*. non enim simul sunt. Concludendi autem modus disjuncto huic secundo similis est: ut,

Non & dies & nox est.

At dies est.

Non igitur nox.

Non & rationalis & irrationalis est homo.

Sed rationalis.

Igitur non irrationalis.

Non & amplectenda & averfanda est virtus.

At amplectenda.

Non igitur averfanda.

Item,

Prudentia non est & virtus & vitium.

Sed virtus.

Non igitur vitium.

HAtenus de priore dianoia, Syllogismo scilicet, quæ est aurea illa regula disputans dubiorum axiomaticum & questionum veritatem & falsitatem, illasque examinans & ponderans non secus ac Lydius lapis auri bonitatem explorat. Ut Syllogismorum usum esse tunc intelligamus, cum non satis constat de veritate falsitateque, non secus ac Lydii lapidis usum, cum auri bonitas non satis est explorata: cum verò sintne vera an falsa illa, quæ cogitantur dicunturve, manifestum nobis est, syllogismi usus est nullus, quemadmodum nec lapidis Lydii, cum aurum esse purum bonumque satis constat. Alii syllogismo adjiciunt tres illas argumentationis species, ut
sunt

sunt Enthymema, Exemplum & Inductio. Sed Enthymema mutilum esse syllogismum audivimus: Inductionem veró & Exemplum argumenta esse: ibi cum ex partibus disputatur totum, hinc cum ex simili simile, dissimili dissimile, vel ex specie specialissima genus arguitur, in Inventionem demonstravimus.

METHODUS altera dianoię species est, cujus tanta est præstabilitas, ut Plato in Philebo eam deorum donum appellet, quod nobis Prometheus aliquis cum clarissimo igne attulit. Et sané, si rem ipsam considerare velimus, nihil profectó legitimâ methodo, ac axiomaticum dispositione admirabilius invenerimus, quaque magis doctus distat ab indocto. ut enim argumenta & axiomatica communia sunt nobis cum brutis, syllogismo differimus: sic Methodus unica est, qua doctus ab indocto discrepat: omnes enim syllogismos ex æquo conficimus; at multa axiomatica continuâ serie disponere non omnibus æqué, imó ne centesimo cuique concessum est; ut hinc divinum illud lumen á Prometheo accensum maximé luceat. Quapropter maxima hinc difficultas apparet. Si enim argumenta invenire difficile, axiomatica disponere difficilius; difficilimum veró esse dubiam quæstionem syllogisticôs disputare. Methodus autem ex his omnibus difficultatibus est conflata; unâ methodo nihil difficilius fuerit, & propterea tanto majore diligentia annitendum, ut plenissimé hæc doctrina percipiatur. Videtur autem methodus metaphora quadam á viatoribus deducta. *μετὰ* enim *cum*, & *ὁδὸς* *viam* significat: hinc methodus, quæ Ciceroni *via & ratio* dicitur, Quintiliano *breve compendium*. Quemadmodum enim viatores quám possunt brevissimâ viâ ad metam tendunt: sic etiam methodus nos deducit via compendiaria ad cognitionem artium rerumque hoc ordine dispositarum, cum perpetuâ serie appareat veluti ante oculos suo loco quidque collocatum. Definitur autem *dianoia variorum axiomaticum homogeneorum pro natura sua claritate prepositorum, unde omnium inter se convenientia judicatur, memoriaque comprehenditur*. quæ ut rectius intelligantur, planius enodentur.

Genus est dianoia commune cum syllogismo; tam enim hîc quàm ibi axiomatum est derivatio deductioque, nisi quòd ibi dubium hîc verò manifestum & per se clarum deducatur. Forma est in axiomatibus tripliciter affectis.

Prima affectio est in axiomatum varietate, *altera* in homogenia, *tertia* in claritate, & pro cuiusque claritatis dispositione.

Varia primùm erunt axiomata, id est, non æquè generalia aut æquè specialia, sed alia aliis generaliora specialioraque, alioqui disponi non possent, omnia enim eodem essent loco, utpote æquè clara; ut ea Platonis sententia esse videatur, cum inquit: *omnia unum esse & multa.*

Homogenea deinde sunt, id est, cognata, & quasi unus corporis membra, ut lex *ἡ δ' αὐτὸ* præcipit.

At inquires, in artibus observari posse & caveri, ne aliarum artium præcepta misceantur: at in orationibus disputationibus aliisque tractationibus non item; cum varia ibi misceantur: non enim tantum nostra confirmanda est sententia, verum etiam adversariorum refutanda, nonnunquam etiam digrediendum. At, inquam, tam in his quàm illis hoc de homogenia valet præceptum; verum ibi strictius, hîc verò laxius. In orationibus enim eatenus dicuntur homogenea, quatenus ad unum eundemque scopum & finem adspirant; quanquam, ut modò jam meminimus, laxius hîc sit frenum. Hoc pacto omnia in Miloniana oratione homogenea fuerint, quatenus tendunt ad Milonis defensionem; quanquam ibi Cicero non solum suam de cæde Clodii sententiam confirmet; verum etiam Clodianorum accusationes infirmet, frangat ac refutet: Similiter in dialogo de senectute, ubi Cicero ejus suscipit causam ac defensionem, omnia dicuntur homogenea, quatenus scilicet eò spectant, ut senectus defendatur; quamvis uspiam à recta hac via declinet, ut cum agriculturam commendat, de animorum immortalitate tractat, & si qua sunt similia.

Denique *pro natura sua claritate præponi* dicuntur, quæ quòd generaliora & notiora sunt, præcedunt, quæ verò specialiora & obscuriora, consequuntur. Intelligimus itaque

que

que axiomata ita esse disponenda, ut nota claraque esse debeant, & quidem alia aliis notiora clarioraque. Nota autem sunt, quæ per se manifesta sunt, id est, axiomatico iudicio clara & evidentia, quo scilicet ita esse iudicamus, vel etiam syllogistico iudicio, si qua de illis dubitatio fuerit, examinata & explorata. Notiora autem dicuntur, quæ aliis sunt manifestiora, id est, minus difficilia cognitu. De his, inquam, collocandis methodus sollicitè quærit prius & notius, ut illud priore loco collocetur. Prius autem dicitur, unde non com meat vicissim retró consecutio, ut genus tanquam causa suâ specie tanquam effecto; disputatur enim à specie, ut ab homine, ad genus, ut ad animal; si enim homo est, animal non esse non potest, cum effectum non sit sine causis essentialibus. Idem & notius dicitur, nam minus multa in eius sunt natura & essentia; ut, *in animalis essentia non tam multa insunt, quam in hominis*; cum illa omnia quæ in animali insunt, etiam sint in homine, & præter illa omnia, etiam inest rationalis anima. Homo itaque & posterior & obscurior est animali, animal verò prius & notius. Hoc, inquam, prius & notius priore sit loco, utpote quod ad sequentem doctrinam necessarió requiratur: contra posterius & ignotius loco sit posteriore, utpote quod lumen requirat doctrinæ superioris, nec nisi illâ cognitâ cognosci potest. Sic species quævis cum suâ formâ superent suum genus, posteriore erunt loco: ut, *homo & bestia superant animal; ille ratione, hæc verò rationis privatione*; quare neutra animali convenit. posteriore itaque sint loco.

Finis denique & usus proponitur duplex: alter est iudicium de ordine & convenientia partium inter se, id est, an generalius antecedit, specialius consequatur, an verò non. Nam ut finis dispositionis axiomaticæ est iudicium de veritate & falsitate, dispositionis syllogisticæ, iudicium de consequentia & inconsequentia disputatæ quæstionis: sic iudicium methodicæ dispositionis, id est, utilitas, usus, fructus, & finis methodi est, considerare ordinem & confusionem, & præcedatne clarius, obscurius verò consequatur, an non. Alter deinde fructus & usus

legitimæ hujus methodi est memoria; res enim cognitæ facilius memoriâ comprehenduntur, si ordine sint dispositæ. Nam cùm á notioribus ad ignotiora continué progrediatur, ordinis illius lumine & partium inter se convenientia faciliorem efficit cognitionem & memoriam rerum ordine ita collocatarum. Quapropter, ut semel tandem concludam Methodi definitionem, sic disponentur axiomata, ut ex homogeneis primo loco sit absolutâ notione primum, secundo secundum, tertio tertium, & ita deinceps. Ideoque methodus ab universalibus ad singularia perpetuó progreditur. Universalia enim, ut jam meminimus, priora sunt absolutâ notione, utpote cùm sint symbola & tesserae causarum, ut in distributione ex effectis meminimus; causæ veró suis effectis notiores & illustriores sunt. Hâc enim solâ & unicâ viâ proceditur ab antecedentibus, omninó & absoluté notioribus, ad consequentia ignota declarandum; posteriora enim lumen accipiunt á prioribus & illustrantur. Hinc perpetuó genus in speciei definitione, & forma ad definiendum assumuntur, ut ita per causas arguatur effectum; eamque solam methodum Aristoteles docuit, quamvis ejus interpretes non usquequaque vestigiis illius insistentes, genesis etiam & analysin methodos fecerunt, cùm genesis nihil aliud, quàm ad artis jam cognitæ regulas novum opus componere & aptare gignereque sit. Sic puer Grammaticus argumentum grammaticum componens, Grammaticam exercet genesis. Sic Logicus argumenta inveniens, inventa axiomaticôs disponens, dubia axiomata syllogisticôs disputans, varia deniq; & homogenea axiomata pro lucis suæ claritate collocans & disponens, genesis exercet Dialecticam. Sic Rhetor orationem troporum & figurarum luminibus illustrans & exornans, vocis suavitate auditorem permulcens & gestus dignitate excitans, genesis exercet Rhetoricam. Simile de aliis exercitiis judicium esto. Genesis igitur non est methodus, sed artis jam cognitæ exercitatio in faciendis operibus novis. Diæresis sive analysis est operis jam facti ad artis regulas solutio & retextio, quando scilicet
singula

singula ab auctore jam facta expenduntur, examinantur, & ex artis jam cognitæ regulis judicantur. Sic Grammaticus puer Ciceronis, Cæsar, Salustii, Varronis aliorumque latinorum principum scripta resolvit, ponderat & examinat suis regulis cognitæ jam Grammaticæ, inquit de vocibus singulis, exigit species, figuras, genus, casus, personas, tempora, & si qua sunt similia; deinde etiam vocum inter se constructionem & syntaxin in convenientia & regimine. Hæc est analysi Grammatica. Sic logicus in iisdem inquit argumenta, axiomata, syllogismos, denique totius corporis methodicam dispositionem, & partium inter se convenientiam. Sic Rhetor in iisdem illis inquit in suos tropos & figuras, qua voce quoque gestu singula sint proferenda & enuncianda; illa analysi est logica, hæc Rhetorica, id est, operis facti resolutio & artis cognitæ exercitatio; non igitur methodus.

Est & alia quædam methodus, cujus etiam meminisse Philippus ille Melanthon, cum scilicet in vocabuli & rei alicujus simplicis, quam simplicem quæstionem vocant, definitionem, distributionem, causas, effecta, adjuncta, cognata, contraria & pugnancia inquirimus; quæ sanè methodus non est, sed tantum rerum singularum, sive ut illis placet, simplicium quæstionum per locos inventionis sive argumenta ductio & examinatio; ut nihil aliud sit quam inventio rerum ad quæstionem simplicem propositam quomodolibet affectarum. Cum itaque non sit iudicium, non erit methodus; cum tantum sit, ut meminimus, inventio aliqua.

Hactenus de Methodo, Methodi proprietatibus & affectionibus; sequitur deinceps, ut exemplis illam illustremus, & quidem duplicibus. Prioris generis sunt artium exempla, ubi methodus est strictior: posterioris, oratores, philosophi & historiographi. In artibus hoc generaliter observandum, Platonem generale de illis tradere præceptum, quod scilicet contrariâ viâ inveniuntur ac disponuntur.

Inventio autem cujusmodi sit, jam antè apparuit in lege *κατὰ μέρος*, scilicet ab individuis paulatim ascendendo per intermedias species tantisper, donec ad sum-

num illud perveniatur genus, quo nihil est præstantius, nihilq; superius; hæc, inquam, artium est inventio: unde facile earundem dispositio elucet & apparet, observato illo Platonis dicto. Itaq; descendendo á summo illo & generalissimo genere ad infimas usque species, quibus inferius nihil ars patitur, tradendæ sunt, habitâ generaliorum & specialiorum regularum ratione.

At, inquires, an non omnes artium regulæ generales sunt, & si generales, cur alias aliis generaliores appellas? Recte, inquã, generales sunt omnes, non secus ac omnes stellæ claræ. Sed ut aliæ stellæ aliis sunt clariore & lucidiores: ita quoq; alia præcepta aliis sunt generaliora specialioraq;. Illa in artificiosa hac methodo præcedant, hæc veró consequantur. Atq; ut hæc res clariús appareat, artes in testimonium advocemus, quæ primùm definiuntur. Definitio. n. clarissima est lux, totam artis naturam essentialibus causis cõprehensam continēs & amplectens, quã ritè intellectã quid ars polliceatur intelligi potest. Quapropter P. Ramus generalē artis definitionem esse quasi rotius artis animã vitali spiritu per omnes præceptiones diffusam, omnesq; quasi animantem, illuminantē & vegetantem appellat, adeo ut hãc sublatã ars mortua videri possit. Ut vel hinc appareat, quantum obscuritatis illi in scholas introducant, qui artem, neglecta eius definitione, vel saltem malè constituta, docent. Distributio sequetur. est enim claritate proxima: quemadmodum enim definitio quid sit res: ita distributio quotuplex sit, ostendit: sed si multiplex fuerit, præcedat partitio, id est, integri in membra distributio; est enim ex causis.

At, inquires, ex effectis est præstantior. præcedat itaq;. Verum quidē, inquam; at ut causæ sunt priores, ita quoq; ex causis distributio prior sit, cùm rem distribuendam causis suis prius integrari sit necesse, quã in effecta distribui possit: tum sequetur divisio in species; cuiusmodi exemplum vidimus in syllogismo, qui prius distribuitur in partē antecedentem, propositionē scil. assumptionemq; & consequentem, tum postea in species, simplicem scil. & compositum. Deinde partes ipsæ eodem ordine sunt rursus tractandæ ac definiendæ quo erant propositæ & distributæ.

butæ, ne illa prius tractetur, quæ in distributione fuerat posterior, aut posteriùs quæ prior; & si inter ipsas partes longior interjecta sit explicatio, transitionum vinculis sunt colligandæ connectendæque, ut ita partes cohærere intelligantur. At vinculorum transitionumque ratio est duplex: aliàs enim perfectè transimus, aliàs verò imperfectè.

Perfecta transitio est, cùm summa thesis doctrinæ antecedentis repetitur, & consequentis proponitur. *Imperfecta* verò tantum sequētis doctrinæ thesin summā proponit, non item repetit. Hujusmodi inquā connexio partiū auditorem summopere recreat ac reficit, non secus ac si viatori in lapide inscriptum esset, quantum itineris confecisset, & quantum conficiendum ipsi restaret.

At aliquantò specialius de una arte atque altera loquamur. Omnes definitiones distributionesque physice artis sint repertæ & sigillatim judicatæ, ut amplius nullum restet iudicium, nisi methodicum, id est, omnes sint claræ & manifestò veræ, aut per se, aut syllogismo disputatæ, tantum sit de methodo earundem cogitandum. Hic Dialecticus methodico lumine illustratus, generalissimam definitionem primo collocabit loco: ut, quid sit physica, quid doceat, quid discenti promittat, intelligatur. Physica est naturarum doctrina; hanc inquam primo statuet loco; hinc quid natura sit, explicantem definitionem adijcet, eamque distribuentem partitionem subijcet: Natura est spiritus aut corpus: Spiritum deinde definiet, distribuet, donec ejus doctrina absolvatur: tunc corporis doctrinam aggressurus, transitione illam antecedenti connectet: Haftenus de spiritu, sequitur deinceps de corpore. Tum definito corpore generales illos physice artis motus, in ortu, interitu, loco, alteratione, incremento & diminutione subjūget: hinc corpus in simplex & compositum distribuet; simplex deinde in cæleste & elementum: illius doctrinam nominabit astrologiam, hujus physiologiam: Explicato postea de corpore cælesti & elemento, perget ad compositum, ejusque doctrinam transitione cum superiore connectet: Haftenus de simplici, sequitur corpus concretum; eoque definito, mox in brutum & vivum divi-

det: illius doctrinam meteorologiam, hujus veró psychologi-
 am vocabit: tum species partis uniuscujusque requi-
 ret, exituumq; transitiones suis collocabit locis, idq; con-
 tinua serie definitionum, divisionum & colligationum,
 donec tandem ad specialissima exempla sit perventum.
 Idem faciet in Ethica, Optica, Musica, artibus denique om-
 nibus. Hanc enim viam artes omnes tanquam maxi-
 mé scientificam sibi proposuerunt.

Sunt & alia illustrationis loco exempla, ubi metho-
 di lex laxior videtur; ut ita exemplorum inductione ap-
 pareat, hanc methodum non solúm in materia artium &
 doctrinarum adhiberi, sed in omnibus rebus, quæ facile
 & perspicuè sunt docendæ. Quapropter advocentur in te-
 stimoniũ poëte, oratores, historici, omnesq; omnino scri-
 ptores. Hi. n. quoties auditorẽ lectorẽve docendum sibi
 proponunt, hanc viam quàm possunt maximè sequi stu-
 dent & laborant, quamvis alicubi non usquequaq; ingre-
 di atq; insistere videãtur, propter digressiones, & in rebus
 commorationes; sed tamẽ insistunt & ingrediuntur, qua-
 tenus omnia illa ad eundẽ spectant finẽ, scil. ut refutatis a-
 lienis opinionibus nostra cõfirmetur. Exemplũ itaq; pri-
 mum esto Virgilii, qui Georgica descripturus, primũ quid
 canere deinceps instituat, pponit, & proponendo dividit:

Quid faciat, inquit, letas segetes, quo sidere terram

Vertere, Mœcenas, ulmisq; adjungere vites

Conveniat: qua cura boum, quis cultus habendo

Sit pecori, atq; apibus quanta experientia parcis:

Hinc canere incipiam.

Hæc inquam totius operis & definitio & partitio est
 quadruplex. Quadripartitio enim, & in quatuor libros Ge-
 orgicum opus distribuitur, in doctrinam scilicet de sege-
 tibus; de vitibus, & arboribus; de armentis, equis, bobus,
 capris, ovibus; deniq; etiam de apibus. Hæc ubi proposu-
 isset, generalia quædam præcepta persequitur, de Astro-
 logia, deq; meteorologia, id est, de pluviis, imbribus, grã-
 dine, nive; hæc enim agricolam scire docet: postea doctri-
 nam instituit de arando, occando, stercorando, serendo,
 metendoq; id est, de segetibus; qua absoluta perfectè trãs-
 it ad doctrinam de vitibus arboribusq;

Hactenus

Hactenus, inquit, arborum cultus & sidera cali:

Nunc te Bacche canam, nec non sylvestria tecum

Virgulta, & prolem tardé nascentis oliva.

Quam doctrinam deinceps generaliter explicat de arboribus, postea specialiter de vitibus, denique in extremo secundo concludit:

Sed nos immensum spatium confecimus aquor:

Et jam tempus equum spumantia solvere colla.

Deinde tertio proponit:

Te quoq; magna Pales, & te memorande canemus

Pastor ab Amphryso.

Deinde absolutâ descriptione boum, ovium, caprarum, equorum & canum, lib. 4. statim proponit doctrinam de apibus:

Protinus aërii mellis caelestia dona

Exequar; hanc etiam Meccenas aspice partem.

Ut hinc appareat, quantopere Virgilius methodum hanc a generalibus affectarit.

Alterum est in Ovidio, qui fastos dies & nefastos, hoc est, quasi Calendarium Romanorum descripturus, primum totum opus definit:

Tempora cum caussis latium digesta per annum,

Lapsaq; sub terras ortaq; signa canam.

Hinc invocato Germanico Cæsare, ut benignus sit canenti, annum partitur bifariam: primum ex sententia Romuli in menses decem:

Tempora digereret cum conditor urbis, in anno

Constituit menses quinque, bis esse suo.

Deinde excusato Romulo, quod magis arma tractaret quam sidera, aliam subjicit ex sententia Numæ Pompilii secundi regis Romanorum:

At, inquit, Numæ nec Janum, nec aruitas praterit, umbras,

Mensibus antiquis preposuitq; duos.

Hinc generales quasdam omniumq; mensium affectiones communes enumerat & recenset, ut sunt dies fasti & nefasti, comitiales, nundinales, calendæ, Idus, Nonæ, dies atri, de quibus ita valde logicé, ut inde studium methodi hujus appareat, loquitur:

*Hac mihi, inquit, dicta semel, totis harentia fastis,
Ne seriem rerum scindere cogar, erunt.*

Quasi diceret: hæc generaliter proposuisse sufficiat, ne ejusdem rei tautologiâ sæpius sit utendum. Deinde singulos menses singulis libris, si vita suppeditasset, descripsisset, ex quibus tantum sex sunt reliqui, & singulos libros singulis connectit, sed alios pleniore transitione, alios verò minus plenâ.

Tertium deinceps exemplum est oratorium. Nam & oratores hac viâ progrediuntur, adeo, ut studiosius eam affectare videantur in proœmio, narratione, confirmatione & peroratione, quem modò *artis*, modò *natura*, modò *rei* ordinem appellant. Proœmium enim primo, narrationem secundo, confirmationem tertio, perorationem deniq; quarto esse loco jubent; quæ revera methodi quædam informatio est, dum quo quæq; loco pars orationis esse debeat, demonstrant. *Jubent*, inquit Cicero 2. de oratore, *exordiri ita, ut eum qui audiat, benevolum nobis faciamus & docilem & attentum. Deinde rem narrare ita, ut verisimilis sit, ut aperta, ut brevis. Post autem dividere causam aut proponere, nostra confirmare argumentis & rationibus, deinde contraria refutare. Tum autem alii conclusionem orationis & quasi perorationem collocant.* Ut proœmium summatim comprehendere intelligamus, quæ tractabuntur, narrationem plenius explicare, & quasi futuræ mox disputationis fundamentum jacere, confirmationem verò confirmando refutandoque paulatim disputare quæstionem, perorationem denique summatim colligere argumenta, quæstionemque concludere. Ubi hoc interim observes, narrationem confirmationemque principes esse, reliquas verò adventitias magis, quam ut rem explicent, necessarias.

Sed ad exempla revertamur. Sic Cicero in Verrina actione quadripartitam accusationem facit: primùm enim quæsturam, deinde legationem Asiaticam, tum præturam urbanam, deniq; etiam Siciliensem accusat, & partes suis colligationum vinculis conjungit.

Ad extremum & historici hac eadem procedunt viâ. Quo enim quidque prius est gestum, ita quoque priore loco

loco

loco est: res enim prius gestæ illustrant eas, quæ sunt subsequutæ, cum illæ harum causas contineant.

Ad extremum quemadmodum syllogismo, sic quoque methodo suæ sunt crypses & occultationes. Non enim semper rectâ hæc progrediuntur viâ poëtæ & oratores, sed nonnunquam id quod necessarium est, ut sunt definitiones, distributiones, transitiones, omittunt, & latinis dicitur defectus, Græcis Ellipsis. Aliquando verò partes heterogeneæ assumuntur, ut sunt digressiones à proposita thesi ad rem aliam; & in ea commorationes adhibent. Nonnunquam etiam ordo invertitur, ut hoc quod prius est, loco sit posteriore: quod verò posterius, loco sit priore, & ita sit partium hystorologia. Nam cum populus delectatione motive aliquo majore fallendus erit, homogenea quædam rejicientur, ut sunt definitiones, distributiones & transitionum lumina. Ubi memineras, has res potissimum esse virtutes methodi. Quædam etiam assumunt heterogenea; quod fit à re proposita digrediendo, & in digressionibus diutius commorando. Digressiones enim commodo loco usurpatæ permagnam auditoribus adferunt voluptatem; sunt enim quasi amœnissima quædam diversoria, in quibus auditor instar viatoris fessi de via recreatur, reficitur & animum quasi colligit, ut ita alacriore animo esse possit ad reliqua audienda, quemadmodum viator in diversorio recreatus alacrius cœptum iter pergit. Cujusmodi est Ciceronis in senectute, ubi digreditur à senectutis apologia ad agriculturæ laudem.

Aliquando etiam rerum ordo invertitur, antecedentiaque nonnulla consequentibus postponuntur, non sine magna lectorum & auditorum voluptate; quæ dicitur hystorologia, & princeps est inter omnes methodi Crypses, qua præstantissimi & principes poëtarum, Homerus in sua Iliade, & Virgilius in sua Æneide utuntur: ille enim Iliados opus à precibus Chryseæ sacerdotis orditur, mox secundo libro Catalogum navium græcarum recenset; hic verò primò statim Æneam Siculum mare navigantem excipit, quod precibus Junonis ab Æolo concitatum esse fingit, post verò Cartha-

gine Trojæ excidium narrantem in convivio, 2. lib. inducit. Quapropter rectè Horatius in arte poëtica hujusmodi in Homero hystorologiam commendat:

*Nec gemino bellum, inquit, Trojanum orditur ab ovo,
Semper ad eventum festinat, & in medias res
Non secus ac notas auribus rapit, & qua
Desperat tractata nitescere posse, relinquit:
Atq; ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet inum.*

Ut ita intelligamus, utrumque poëtam á medio incepisse, postea per occasionem prima narraſſe.

Atque ad illam perfectæ methodi regulam hæc imperfectior videtur, non solum quia mutila est, aut quia redundat, verum potissimum, quod partes sint trajectæ, medium primo, & primum medio loco. Sic Comici eadem insistant viâ; comœdiæ enim variis turbatæ sunt casibus: ut sunt insperatæ liberorum & parentum agnitiones, initia sunt omiſſa, postea per occasionem persona aliqua introducitur, quæ illa narret quæ priora sunt. Sic apud Terentium in Andria, Sosia narrat Simo antea factam filii Pamphili vitam: in Eunucho, Phædria Parmenoni suam exclusionem: in Heautontimorumenno, Menedemus Chremeti narrat suam duritiem, qua usus erat adversus Cliniam, ejusque á patria abitionem. Fines deinde & catastrophæ minimè sperati comœdias claudunt. Oratores denique qui omnia ad victoriam referunt, non tam docendi quam permovendi gratiâ firmissimum quodque argumentum primo collocant loco, ut tamen quæ æquè excellent, serventur etiam ad extremum. De qua re pulchrè Cicero 2. de oratore: *In oratione, inquit, firmissimum sit primum; dum illud tamen in utroq; teneatur, ut ea quæ æquè excellent, serventur etiam ad perorandum: si quæ erunt mediocria (nam vitiosis nusquam oportet esse locum) in mediam turbam atque gregem conjiciantur.* & ad Herennium 3. *In confirmatione & confutatione, inquit, dispositiones hujusmodi convenit habere: firmissimas argumentationes in primis & postremis causæ partibus collocare: mediocres, & neque*
mutilas

inutiles ad docendum, neque necessarias ad probandum (quasi separatim & singula dicantur, infirma sunt, cum ceteris conjuncta, firma & probabiles) interponi & in medio collocari oportet. Nam & re narrata statim expectat auditoris animus, ex qua re causa confirmari possit. Quapropter continuo oportet inferre firmam argumentationem; &, quoniam nuperrime dictum facile memoriae mandatur, utile est, cum dicere desinimus, recentem relinquere in animis auditorum & bene firmam argumentationem. Hæc dispositio tanquam instructio militum facillime in dicendo, quemadmodum illa in pugnando, parare poterit victoriam. Hæc, inquam, est Homerica illa dispositio, mediocria in mediam turbam & gregem conferens.

Ad extremum memineris, artificiosam illam & strictam methodum, à Cicerone *doctrina*, hanc verò laxiorem *prudencia* methodum appellari, quod hinc vel desint nonnulla, vel redundant, vel etiam partes transponantur, prout prudentiæ Poëtæ, Oratoris, Comici utile esse visum fuerit.

F I N I S.

k v



DIALECTICA DE
SEIPSA.

Anxia de variis Dialectica disfero rebus,
Arsq; potest operis nulla carere meis.
Nam res ut tectas alta nive torrida Solis
Fax aperit, superos quæ latuere polos:
Sic ego luce mea nodosa sophismata tollo,
Ut pateat falsis techna parata dolis.

PETRUS PAGANUS,
Poëta Laureatus, & poëseos
publicus Professor in Acad.
Marpurgensi.




1000




DICTIONARIUM
A
B
C
D
E
F
G
H
I
K
L
M
N
O
P
Q
R
S
T
U
V
W
X
Y
Z





114 14
127

AB 44 ¹⁴/₁₂₇
(X2202071)
sb.



DE
DISC
CENDI
LYSI



HER
Exoff



B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

